PHAEDRI
AUGUSTI LIBERTI
FABULAE AESOPIAE.

AD
OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM EDITAE
CUM
VARIARUM LECTIONUM DELECTU
ET
NONDUM VULGATIS DESBILLONII NOTIS.

CURAVIT
CAROLUS ZELL,
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET ANTIQUARUM LITERARUM
IN UNIVERSITATE FRIBURGENSI PROFESSOR.

STUTTGARTIAE,
SUMTIBUS CAROLI HOFFMANN.
MDCCCXXVIII

VITA PHAEDRI

EX

PHAEDRO *)

AUCTORE

I. G. S. SCHWABE.

Phaedrum fuisse Thracem, non pauci virorum doctissimorum sunt, qui, duce Pithoeo, statuant. a) Provocant enim ad ipsa Phaedri verba: b)

Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi,
Fecunda novies, artium peperit chorum: etc.

et ad locum alium: c)

Ego, litteratae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?

---

*) In enarranda vita Phaedri ea potissimum in usus meos verti, quae viri docti, *Funccius*, Ioannes *Schefferus*, Io. Alb. *Fabricius*, F. Ios. *Desbillonius*, *Crusius*, Anglus, de hocce poëta memoriae prodiderunt; ita quidem, ut placita eorum disquisitioni subiicerem, novasque passim auderem coniecturas, sustentatas argumentis, ad probandum idoneis.

a) *Schefferus* in Vita Phaedri: *Fabricius* in B. L. T. II. p. 25. Ed. Ernest. *Funccius* de Senect. L. L. Cap. III. §. 8. alii.

b) Prol. Lib. III. 17 — 19.

c) Prol. Lib. III. 54 — 57.

Thretssa cum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo.

Quibus addunt locum Strabonis: d) *Ἀπὸ δὲ τȣ͂ μέλȣς, καὶ τȣ͂ ῥυθμȣ͂, καὶ τῶν ὀργάνων, καὶ ἡ μȣσικὴ πᾶσα Θρᾴκια καὶ Ἀσιᾶτις νενόμισται δῆλον δ' ἔκ τε τῶν τόπων, ἐν οἷς αἱ Μȣ͂σαι τετίμηνται. Πιερία γὰρ, καὶ Ὄλυμπος, καὶ Πίμπλα, καὶ Λειβηθρον τὸ παλαιὸν ἦν Θράκια χωρία καὶ ὄρη* etc. ex quo probare student Pieriam montemque Pierium olim fuisse regionem montemque Thraciae. At rectius Phaedrus Macedonia ortus fuisse creditur. Etsi enim priscis temporibus (*τό παλαιόν*) mons Pierius Thraciae fuit adscriptus; subsequenti tamen tempore incolebatur a Macedonibus, teste eodem illo Strabone, qui verbis paullo ante citatis, haec subiungit; *νῦν δὲ ἔχȣσι Μακεδόνες*, quae quidem verba Schefferus reticuit. Atque etiam cum Pausanias e) commemoret, fuisse olim Pieri, Macedonis, nomen uni e Macedoniae montibus inditum; Plinius autem f) et Mela g) Pieriam appellent Macedoniae *) regionem;

d) Geograph. L. X. p. 722. Edit. Amstel. 1707. f.

e) Descript. Graec. L. IX. Cap. 29. T. III. p. 88. ex Edit. Cl. *Facii. Χρόνῳ δὲ, ὕστερόν φασι Πίερον Μακεδόνα, ἀφ' ȣ͂ καὶ Μακεδόσιν ὠνόμασται τὸ ὄρος, τȣ͂τον, ἐλθόντα, ἐς Θεσπιὰς, ἐννέα τε Μȣ́σας καταστήσασθαι, καὶ τὰ ὀνόματα τὰ νῦν μεταθέσθαι σφίσι.*

f) Hist. Nat. Lib. IV. C. 10.

g) De Situ Orb. Lib. II. C. 3. *Hic* (in Macedonia) *Musarum parens domusque Pieria.*

*) *Plinius* H. N. Lib. IV. C. 8. coll. not. f. refert montem Pierum ad Thessaliam. Dicit enim: *Pherae, quarum a tergo Pierus ad Macedoniam protenditur.* Auctoribus *Mela* I. c. et *Cellario* Orb. Ant. T. I. p. 836. coll. Mapp. Geogr. p. 828. Pieria fuit provincia Macedoniae; mons autem Pierus situs erat in con-

cum denique omnes antiqui Geographiae scriptores Macedoniam a Thracia distinguant: dubitari nequit, iugum Pierium, de quo Phaedrus verba facit, situm fuisse in Macedonia, et Phaedrum Macedonem, non Thracem, esse appellandum. h) At enim Phaedrus loco, supra memorato, i) se ipse Thracem vocat. Et ego haec verba minime id significare contendo, quod volunt, qui secus sentiunt. Nam recte vidit Desbillonius, k) ea ita esse interpretanda: Ego decus patriae meae, quae litteratae Graeciae propior est, nolo per inertiam deserere, cum Threïssa gens, quamvis a Graecia sit multo remotior, suos tamen auctores, Linum et Orphea, numeret. Neque etiam, iudicante eodem viro docto, temporibus Lini et Orphei Macedoniam Thraciae partem fuisse credidit Diodorus Siculus. Is enim, l) Macedonem, a patre suo Osiride huic regioni praepositum, Macedoniae, ante Lini et Orphei tempora, nomen dedisse, memoriae prodidit, scribens: *κὰι Μακεδόνα μὲν τὸν υἱὸν ἀπολιπεῖν βασιλέα τῆς ἀπ᾽ ἐκείνε προσαγορευ-*

---

finiis Macedoniae et Thessaliae. Facile igitur fieri potuit, ut iste mons ab aliis Thessaliae, ab aliis Macedoniae abscriberetur. Sed iugum Pierium, de quo loquitur Phaedrus, accipiendum pro ea montis illius parte, quae ad Macedoniam pertinebat. Scribit enim, se litteratae propiorem esse Graeciae. Per consequens fuisset Graecus, si in altera, quae Thessaliae erat, natus esset. cf. Desbillon. Praef. p. V. et quae notamus ad Prol. III. 20.

h) Lege de hac re erudite disputantem *Desbillonium,* in Disp. I. de Vita Phaedri p. IV. sq. praefix. Ei. Editioni Phaedri. Thracem fuisse Phaedrum, iam ante Desbillonium negavit Deniseus, qui gallicis versibus Phaedri fabulas reddidit. V. infra Vers. Gall. ann. 1708. et *Memoires de Trevoux* d. a. p. 790.

i) Prol. L. III. v. 54 — 57.

k) Vid. I. c. p. v.

l) T. I. C. 20. p. 23. Edit. Wesseling.

θείσης Μακεδονίας. Quae cum ita sint, Phaedrus fuit Macedo, neque magis, quam Pindarus, Thebis natus, propterea Thrax dici potest, quod Strabo m) scriptis suis tradidit, Thraces olim tenuisse Boeotiam.

Fuerunt, qui verba: Ego, quem Pierio, mater enixa est iugo, improprie et poëtice a Phaedro dici putarent. n) Sed iam olim animadvertit Funccius, o) haec ita intellecta non apte cohaerere cum sequentibus. Cum enim Phaedrus, se in ipsa schola natum esse, dicat; p) Musae autem, artium omnium et litterarum Deae, in monte Piero crederentur esse genitae: facile vides, Pagenstecherum et viros doctos, qui eum sequuntur, non esse audiendos. Istam Pagenstecheri sententiam cl. Iacobs in dissertatione peculiari de fabulatoribus Latinis (Vide: Nachträge zu Sulzers Theorie, T. VI. P. I. p. 34.) sic confutat: »Diejenigen, welche diesen Worten (Prol. III. 17.) einen metaphorischen Sinn unterlegen, haben den Zusammenhang nicht gehörig erwogen. Phaedrus führt die Gründe, die seine Ansprüche auf den Namen eines Dichters begünstigen, der Reihe nach an. Seinen Geburtsort, ein poetisches, durch die Gegenwart der Musen begünstigtes Land, stellt er an die Spitze. Zunächst kömmt

---

m) Loc. cit. *Τόν τε Ἑλικῶνα καθιέρωσαν ταῖς Μέσαις Θρᾶκες οἱ τὴν Βοιωτίαν ἐποικήσαντες.*

n) *Pagenstecherus* in Vit. Phaedri, laudans *Persii* Sat. Prol. v. 1. *Ursinus* in Indice ad Edit. Phaedri, voc. *Pierius* C. II. *Schmid* in Not. *l.* ad *Crusii* Vitt. Poët. Rom. T. I. p. 342. vers. germ.

o) De imminenti L. L. Senect. C. III. §. 8.

p) Prol. Lib. III. v. 20. ubi vide.

er auf seine Erziehung, **in ipsa natus paene schola**; auf seinen Charakter, der keinen von den Flecken hat, die mit den Musenkünsten unverträglich sind. Man gebe dem ersten Satze eine metaphorische Bedeutung, und die ganze Anordnung der Gedanken ist zerstört.»

Quo anno, quibus parentibus natus sit Phaedrus; utrum casu, an sorte nascendi factus sit servus, definire non audeo: verumtamen coniecturam virorum doctissimorum silentio praetermittere non licet. Cum enim **Suetonius** q) narret, C. Octavium, Augusti patrem, Macedoniae Praetorem, Bessos ac Thraces magno fudisse proelio: coniiciunt hinc, potuisse evenire, ut Phaedrus cum aliis captivis Romam duceretur. r) Hisce autem positis, Phaedrum putant paucis ante annis natum esse, quam Iul. Caesar summa potiretur imperii. s) Eodem enim anno, quo Thraces fusi sunt, Q. Cicero fuit Proconsul Asiae, Caesar autem Romae gessit consulatum. t) Quae quidem coniectura veri non est similis, recte observante **Fabricio**; u) quoniam inter Caligulae imperium et illud tempus, quo C. Octavius Thraces fudit, intercedunt plus, quam LXX. anni. Quid? quod Phaedrus regnante Claudio adhuc vixisse, et ali-

---

q) Aug. Cap. III.

r) v. *Schefferus* in Vit. Phaedri: *Schumannus* in Diss. de Vit. et Script. Phaedri, edit. in Nov. Acerr. Philolog. Hal. 1715. 8. p. 170. sp. *Müllerus* in Einleit. zur Kenntnifs der alten Latein. Schriftstell. T. V. p. 8. *Crusius* I. c. p. 343. Io. *Fabricius* in Hist. Bibl. Fabric. P. VI. p. 319.

s) *Crusius* in Vita Phaedri, quae exstat. l. c. p. 342. *Müllerus* I. c. T. V. p. 6.

t) *Crusius* I. c. p. 343. *Sueton.* Oct. Cap. 3.

u) Bibl. Lat. T. II. p. 25. Edit. Ernest.

quot fabularum libros composuisse videtur, ut e sequnetibus constabit. Neque dissentit a nobis Desbillonius, cuius placita non alienum videtur hoc loco commemorare: x) »Etenim hoc pacto, inquit, Phaedrum tempore Seiani, quo se scripsisse testatur, septuagenario maiorem fuisse oportuerit; quod veri simile non videtur. Ipse enim Lib. IV. Epil. vs. 16. (Epil. L. III. 16. 17. nostrae Edit.) de se loquens, sic unum e suis patronis admonet:

Olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua.

Tunc ergo non erat neque senex, neque senio proximus. Praeterea si abductus eo tempore in servitutem fuisset, captum esse cum victis vel Thracibus, vel Bessis dicendum foret, qui barbari longe ad Auctoris nostri patria (Macedonia) erant ad septentrionem remoti.»

Phaedrus, aetate puerili captus, nescio quo casu, Romam deportatus Augusto imperatori mancipatus est, qui eum, ob morum probitatem atque ingenii elegantiam, bonis litteris curavit instituendum, et manumissum libertate donavit *). Litteris autem Latinis Romae imbutum fuisse Phaedrum, vel ex Epil. L. III. v. 33. sq. (alias Lib. IV. XXV. 33. 34.) potest intelligi, quo loco ex Ennii Telepho versum memorat, quem se puerum quondam legisse testatur, huius sententiae:

Palam mutire plebeio piaculum est.

---

x) Disp. I. de Vit. Phaedri cit. p. vi. Mea quidem sententia locus, quem mox affert Desbillonius, non tempore Seiani sed Caligulae scriptus est. Nam Fab. alias XXV. L. IV. cum Brotierio et Bipontinis Editor. epilogum fieri iussi Lib. III. cuius prologo ad Eutychum bene respondet.

*) *Harlesii* Notit. Litterat. Rom. p. 435. *Crusius* l. c. p. 350.

Iam vero si perpendamus, scripsisse poëtam fabulas Latine, i. e. sermone terso atque polito, eumdemque usum esse genere dicendi simplici et faceto, veterem urbanitatem redolente: vix credibile est, aliquem ad talem sermonis Latini peritiam alicubi pervenire potuisse, nisi Romae, et longo quidem ab ineunte pueritia usu. y) Quomodo servus factus sit Augusti, fateor me nescire. Sed dubium potest esse nullum, Octavium Augustum nostrum, cum perpolivisset litteris ingenium, adseruisse libertati, atque adeo Phaedrum Octavii Augusti fuisse libertum. In libris enim fabularum MSS. expressis verbis Augusti vocatur libertus. *) Sed Octavium Augustum intelligendum esse, testis est ipse Phaedrus, memorans litem, a Divo Augusto diiudicatam, addens:

Narrabo, memoria quod factum est mea. z)

Non pauci tamen sunt, qui Phaedrum libertatem Tiberio Augusto debere existiment; a) a quibus recte dissentit Desbillonius, b) qui praeter argumenta, et a me paullo ante notata, hoc in medium protulit: »Mi-

---

y) *Desbillonii* Disp. cit. p. VI. sq.

*) In Cod. Pithoei scriptum est: *Phaedri Aug. Lib. secundus incipit.* V. Gud. In MS. Rem. post. L. V. F. X. Phaedri *Aug. liberti liber quintus explicit feliciter.* Vid. Brot.

z) Lib. III. F. X. 8. 39.

a) *Schefferus* in Vit. Phaedri. Ol. *Borrichius* de Poët. p. 55. *Lipsius* ad Senec. Consol. Polyb. Cap. XXVII. *Buchnerus* Orat. T. II. Or. 2. coll. *Fabri* Thes. v. *Phaedrus;* et *A. Schotti* observ. L. II. C. 19. ut omittam alios. *Morhof.* de Patavin. Livii. p. 157. haeret ambiguus, Phaedrum Libertum *Augusti*, vel *Tiberii* appellans.

b) Disp. cit. p. VII.

PHAEDRI
AUGUSTI LIBERTI
FABULAE AESOPIAE.

AD
OPTIMORUM LIBRORUM FIDEM EDITAE
CUM
VARIARUM LECTIONUM DELECTU
ET
NONDUM VULGATIS DESBILLONII NOTIS.

CURAVIT
CAROLUS ZELL,
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET ANTIQUARUM LITERARUM
IN UNIVERSITATE FRIBURGENSI PROFESSOR.

STUTTGARTIAE,
SUMTIBUS CAROLI HOFFMANN.
MDCCCXXVIII

lam, vivo Seiano et florente, duos priores fabularum libros in lucem emisit. Non enim unam alteramve fabulam sibi amicisque tantum composuisse mihi videtur, traditam deinde in manus multitudinis, quae est Desbillonii sententia. h) Namque non una ratione inducor ad credendum, Phaedrum scripsisse omnibus non singulis, ut luculenter docebunt sequentia. Contra facile admitto coniecturam Brotierii, maxime Desbillonii, qui non sine causa statuunt, Libri primi fabulam VI. de Sole et Ranis ad invidiam Seiano faciendam pertinuisse; quod Liviam, sive Livillam, Drusi Neronis Germanici filiam, Caio, Augusti nepoti, mox Druso, Tiberii filio, nuptam, ausus esset uxorem sibi postulare, i) et ista ambitione tam insolenti vulgi rumorem, odium procerum, Tiberii ipsius suspiciones excitasset. Quam sententiam hac video niti interpretatione: k) »Liviam adulterio corruperat Seianus, perpuleratque, ut Drusum maritum, Tiberii filium, l) veneno tolli sineret: atque ambo speraverant, moram omnem fuisse hoc scelere sublatam, quo minus celebres fierent nuptiae: at ranae, id est, universae familiae Romanae, quarum Sol, Seianus, omnes lacus, id est, omnes domos exhauriebat, Iovem, i. e. Tiberium efficaci tandem querela commoverunt, ut nefarium inceptum disturbaret.» Qua fabula lecta, excanduit Seianus in ultionem, cumque intellexisset, Phaedrum fabula Lib. I. 2. de Ranis, regem

h) Disp. cit. p. X.
i) *Tacit.* Annal. Lib. IV. Cap. 39. 40.
k) *Desbillonius* l. c. p. X.
l) *Tac.* l. c. Cap. 3. 8. coll. Cap. 9 — 11.

petentibus, ipsum carpere Tiberium, forte cupide arripuerit istam occasionem, ulciscendi iniuriam, ex altera fabella nuper acceptam, et accusator, testis ac iudex laesae maiestatis reum m) Phaedrum damnare tentavit. Atque hic observat Desbillonius, n) potuisse Tiberium parvo illo tigillo, quod Ranae inquinant omni contumelia, non inepte designari: Romanos enim ac prae ceteris duces exercituum militesque, et multo etiam magis socias gentes his potissimum temporibus aspernari eum coepisse; quod imperii clavum deserere videretur, et ignavus Caprearum angusta in rupe sederet, o) atque otiaretur, tutore Seiano. Tunc etiam, auctore Tacito; p) contumeliae in eum dictae; et fluxa senio mens et continuo abscessu velut exsilium aliquanto post a Fulcinio Trione obiecta. Non tamen crediderim, Phaedrum, omissa crudelitate, solum ignaviam atque inutilitatem Tiberii fabula memorata deridere voluisse, quod volunt Desbillonius et Tristanus (Histoire des Empereurs, loco mox citando). Crudelis enim esse non destitit: non igitur alium per hydrum notavisse videtur poëta, quam huncce Imperatorem, *) nisi quis malit intelligere Seianum, instrumentum crudelitatis suae. Neque obiici po-

m) *Tac.* -Annal. Lib. I. C. 72. de Tiberio loquens: *Legem*, inquit, *maiestatis reduxerat*, coll. *Desbillon*. Disp. de vita Phaedri. p. X. sq.

n) Disp. de vita Phaedri. p. XI.

o) *Iuvenalis* Sat. X. v. 93.

p) Annal. Lib. IV. Cap. 42. et Lib. VI. Cap. 38.

*) Iam olim *Heusingerus* vidit, Tiberium non Caligulam, significari per hydrum. Vide Addenda ad Edit. Heusinger. ann. 1772. Not. K. et ad L. I, F. II. 24.

test a cl. Iacobs in erudita dissertatione de Fabulatoribus Latinis, (v. Nachträge zu Sulzers Theorie T. VI. P. I. p. 34.) hydrum istum de Caligula non posse intelligi, quia fabula de ranis graecae sit originis. Quae enim si vera essent, vix liceret contendere, Tiberium a Phaedro per hydrum notatum fuisse. Sed quis possit dubitare, poëtam fabulas, ab Aesopo inventas, et a se versibus senariis politas, genio saeculi accomodavisse, eundemque sub antiquis illis fabulis res sua memoria gestas voluisse adumbrare; cum ei mens esset, ut ipse testatur Prol. III. 50. vitam et mores hominum ostendere.

Praeter Seianum subsequenti tempore non pauci erant potentes, qui Phaedri fabulis se laesos putarent, iramque evomerent in auctorem, q) quos hic tamen nominare non audet; id quod luculenter apparet ex Epil. Lib. III. 29. sqq. r)

Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requires: apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio piaculum est,
Dum sanitas constabit, pulcre meminero.

Qui locus probat, Phaedrum, invidiae calumniaeque machinationibus oppressum, fictarum caussarum reum esse factum. Ac primum quidem Seianum accusa-

---

q) *Desbillon.* l. c. p. IX. Prol. III. 45 — 47. coll. Epil. III. 29. sqq.

r) Alias Lib. IV. XXV. 29. sqq.

torem, simulque testem ac iudicem habuit. s) Hoc deinde exstincto, alii, siue a Seiano incepta persecuturi Phaedrumque ultioni mactaturi, siue propria simultate inflammati, omnem mouerunt lapidem, ut affligerent nostrum et perderent. Ii sunt, contra quos supplex et reus, etsi integritatis conscius, implorat misericordiam Eutychi, patroni sui, t) hocce tempore forte iudicum numero habendi, u) scribens:

Stultum admouere tibi preces existimo,
Procliuis ultro cum sit misericordia.
Saepe impetrauit veniam confessus reus,
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes; fuerunt aliorum prius:
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides etc.

Sed tota res iacet in tenebris, et vix sperare licet, haec umquam in lucem euocatum iri.

Non Aelium Seianum, eumdem, qui sub Tiberio suam latissime potentiam exercebat, Phaedrum perstringere, censet Cannegieterus, x) »sed potius homi-

s) Prol. L. III. v. 41. 42.

t) Epil. Lib. III. 20 — 26. coll. *Desbillonii* Disp. de Vita Phaedri. p. IX. et Exc. XII. ad Epil. III. 8. 9. 24. sq.

u) Versus enim: *decerno quod religio, quod patitur fides,* intelligendus, obseruante Desbillonio, de religione iudiciorum et fide iurisiurandi, quo se Romanorum iudices adstringebant, lites sese et controuersias ex aequo et bono praescriptisque legum esse diiudicaturos. Cf. *Desbillonii* Disp. eit. p. VIII. Non tamen vero simile videtur Burmanno ad locum Phaedri cit. Eutychum, liberti nomen gerentem. iudiciis praefuisse. Compara Excurs. I. ad L. III. it. Exc. XII. ad eumdem librum.

x) In Diss. de Aet. et Stylo Aviani p. 270. sp. inserta Ei. Edit. Aviani.

nem, moribus eius non dissimilem. Nam si, inquit, ipsum Seianum intelligas, qui quaeso ausus est homo libertinus eum, sub saevissimo principe crudeliter dominantem, tam acerbe perstringere in carmine publico? aut si hoc est Phaedrus ausus, vitae suae prodigus, qui quaeso factum, ut tantam linguae licentiam impunitam tulerit; tulisse autem videtur, quod interposito tempore reliqui fabularum libri prodierunt. Nam non omnes simul esse editos, facile largior Hario, auctori Epistolae criticae. At vero nequaquam in eo adsentior, quod eodem in loco ad Prol. Lib. III. monet, Seiano iam damnato eum librum esse scriptum.*) Nam si post damnationem, etiam post mortem scriptus est; eodem enim die damnatus in Senatu et ad supplicium raptus est Seianus, Dion. LVIII. p. 628. At vero vixisse illum Phaedri Seianum ac magna auctoritate et potentia praeditum fuisse, cum illa scriberet poëta, haec verba vincunt:

Quodsi accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique

Quomodo foret Seiano mortuo conveniet?"

Cuius quidem argumenti, speciosi profecto vis facile infringi potest, si fingas, Prologum Libri III. vivo quidem Seiano litteris consignatum, sed demum post Phaedri mortem iuris factum esse publici. Quam sententiam sustentari posse censeo loco Phaedri, Prol. Lib. III. vs. 29 — 32.

---

*) Librum III. post Seiani statim ruinam exaratum esse, statuebat Harius, probante Burmann, quem vide ad Phaedri F. II. L. I. 24.

Librum exarabo tertium Aesopi stylo,
Honori, et meritis dedicans illum tuis.
Quem si legis, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.

Cum enim Phaedrus verba tantum faciat de Eutycho et posteris, quorum ad manus fabulae Libri III. transmittendae sint: suspicari possis, poëtam noluisse, ut ab aliis, tunc viventibus, legerentur, cum e fabulis Libri I. et II. antehac editis, magna cepisset incommoda. Itaque, suo ipsius damno edoctus, providisse putandus est, ne scripta sua in posterum se vivo in publicum emitterentur. y) Quae si admittantur, facile intelligitur, Phaedrum, vivo adhuc Seiano, scribere potuisse ad Eutychum: quodsi accusator alius Seiano foret; ita quidem, ut non esset, quod metueret hominem, crudelitate barbarum.

Contra Librum fabularum I. et II. quibus poëta Seianum et alios ad iram provocavit maximam, ut ego quidem arbitror, vivo Seiano et florente, in vulgus edidit; etsi Desbillonius, ut supra dictum est, aliter sentiat. Namque, recte notante Cannegietero, z) »Prologus Libri I. et multa alia arguunt, non paucis scripsisse fabulas suas Phaedrum, sed omnibus; neque tantum ad privatum dolorem leniendum, sed et ad famam publice aucupandum. Quorsum enim sollicitatae illae προφάσεις ad lectorem, non initio solum et fine, sed et in mediis libris, quibus nil opus ad amicos? Quid? cum in Prologo Libri III. 23. fastidiose se in

y) Conf. *Desbillonius* ad Peol. Lib. III. 32.
z) Diss. de Aetat. et stylo Aviani. p. 270.

coetum recipi queratur, et in Epilogo Lib. IV. 5. 6. Particulonis nomen dicat chartis victurum suis,

Latinis dum manebit pretium litteris, a)

ex tacitis amicorum laudibus hanc gloriae immortalitatem eum sperasse vix putandus est, immo vero ex publicis virorum doctissimorum suffragiis. Porro qui illa convenient ex Prologo Libri III. 45—50.

Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus:
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere,

nisi omnium manibus versatos hos Phaedri libellos existimamus?« Quae Cannegieteri coniectura confirmatur iudiciis variis, quae de fabulis suis facta esse ipse Phaedrus fatetur, et quae comprobant, non singulis, sed omnibus compositas et publicatas esse fabulas. Scribit enim Prol. IV. 17. 18.

Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea;

Ad quem locum vide, quae infra notantur. Nec defuere hisce temporibus, qui Phaedri fabulas bona quaedam habere non diffiterentur, sed ea ex Aesopo mutua accepta; cetera ut excogitata sint a Phaedro, ita mala et inepta esse. b) Alii cum nil possent aliud, brevitatem et obscuritatem fabularum accusabant. c) Fuerunt denique, qui fabulas componere non auderent, sed vin-

---

a) Alias Lib. V. v. 43. 44.
b) Lib. IV. F. XX. 1 — 5. coll. *Scheffero* in Vit. Phaedri.
c) Lib. III. X. 59. 60.

dicarent sibi, quod inventum erat a Phaedro. Hoc enim voluit Lib. III. F. XIII. d) fortasse etiam Libri I. F. III.

Cuiuscunque generis calamitas fuerit, in quam odio et persecutione Seiani Phaedrus fuit praecipitatus, e) certum est, divitias neutiquam eum reddidisse calamitosum. Cum enim videret, pecunias hisce temporibus multis esse perniciei, opum parandarum studium omne ex animo delevit, seu, ut ait Prol. III. 21. curam habendi pênitus corde erasit. Id quod innuit Lib. V. F. IV. 7. 8. ubi scribit post enarratam fabulam de Asino, detrectante hordei comedere reliquias, quo saginatus porcus Herculi deinde immolatus fuit:

Huius respectu fabulae deterritus
Periculosum semper reputavi lucrum.

Et profecto tunc opulentissimum quemque a Tiberio variis criminationibus circumveniri solitum, praeter alios, Suetonius f) et Tacitus f) docent, teste Scheffero. h) Neque etiam dubium est, Phaedrum, calamitatem magno ferentem animo, remedium adversus eam potiisse e litteris, et ad molliendum dolorem scripsisse reliquos fabularum libros. i)

Scripsit Phaedrus versibus senariis fabularum Ae-

---

d) Vid. *Schefferus* in Vita Phaedri.

e) Capitis periculum vitaeque discrimen subiise, coniicit *Desbillonius* Disp. cit. p. VIII. ex Epil. III. 20. — 26. (Alias Lib. IV. XXV. 20 — 26.) In vincula publica Phaedrum coniectum fuisse, forte colligi potest e Lib. III. IX. 34. coll. Epil. III. 15. sqq.

f) *Tiber.* Cap. 49.

g) Annal. Libr. VI. Cap. 19.

h) Vid. Ei. Vita Phaedri.

i) Prol. Lib. III. 41 — 44.

sopiarum Libros V. Sed de aetate, qua vixit, et de tempore, quo exaravit fabulas, non una est virorum doctissimorum sententia. Gudius aetatem eius ad Tiberii principatum referendam, ipsumque Valerio Maximo aliisque eius aevi scriptoribus aequalem fuisse censebat. k) Existimabat autem, has fabellas demum post Tiberii mortem publici iuris factas; l) cum non vero simile videatur, illum ausum fuisse, fabulis suis viventem imperatorem immiscere, quod quam periculosae aleae opus esset; alia eius temporis monimenta ei probare videbantur; deinde quod fabulam de Ranis, regem petentibus, et a Iove hydrum consecutis, Caligulae tempora respicere putabat: nam Tiberium de Caligula, successore suo, dicere solitum, exitio suo omniumque Caium vivere: et se natricem populo Romano, Phaëtontem orbi terrarum, educere teste Suetonio. m) Speciem habent argumenta Gudii; sed tamen certum est, quid respondeam. Namque, ut supra ostendi, Phaedrus diserte dicit, fabulas suas esse fontem, ex quo tot mala, quae fuerit perpessus, fluxerint. Conqueritur de Seiano, accusatore, teste et iudice suo. Alium igitur atque alium fabularum librum, Tiberio et Seiano viventibus, ediderit necesse est. Deinde habeo, persuasissimum, Libri

k) *Burkmannus* in Praef. ad Edit. Phaedri ann. 1698. et 1718.

l) Sic quoque visum Rigaltio et Fabricio.

m) Calig. Cap. XI. Per hydrum a Phaedro C. Caligulam notari, contendit etiam *Tristan.* Hist. des Empereurs. T. II. p. 303. r. *Fabricius* l. cit. T. II. p. 26. Nec desunt, qui Phaedrum *parui tigilli* nomine Tiberium, nomine *hydri* Caligulam intellexisse censeant. v. Desbillon. Praef. Disp. I. p. VII. coll. *Tristan.* l. c.

I. Fabula II. Tiberium notari, non Caligulam. Etenim ad Tiberium, post secessum in Capreas insulam vitam degentem inertem atque desidiosam, et per Seianum insatiabilem explentem crudelitatem, cum parvum tigillum, tum hydrum non inepte accommodaveris; ad Caligulam non item. (Vide supra notata.) At enim periculosum erat, viventem imperatorem immiscere fabulis. — Imprudenter id fecit Phaedrus, fateor; at non fecit impune; etsi nesciamus, quis deus ex machina eum, si vitae adiit discrimen, liberaverit. — Burmanno Phaedrus Tiberii aetate vixisse videbatur, quamvis, cum provectae admotum aetatis has fabulas composuisse putaret, ut e Libri III. Epil. et L. V. F. X. appareat, quo tempore potissimum scripserit, definiri vix posse contenderet. n) Etsi vero poëta Epil. L. III. 10. (Alias L. IV. F. XXV. 10.) scribit: vita morti propior est quotidie; et mox: languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae; idem tamen addit v. 16, 17. olim senio debilem frustra adiuvare bonitas nitetur tua. Ex quo recte potest colligi, Phaedrum tum, cum Epilogum L. III. litteris mandaret, neque senem fuisse, neque senio proximum. Itaque τὸ languens aevum v. 15. dicti Epilog. non de senectute, sed vita Phaedri, a noxiorum insolentiis pressa (v. 31.) et moerore confecta, intelligi qosse videtur: de quo suo loco plura dicentur. Fac etiam, Lib. V. Fab. X. de fabulis Phaedri, summa senectute compositis, esse capiendam; etsi alio quoque modo explicari possit: vix tamen poëta fabulas ad unam omnes aetate

n) Cf. *Burmannus* in Praef. cit.

decrepita litteris consignasse existimandus est. Neque etiam e Lib. III. F. I. hoc tuto effici posse censet cl. Iacobs in disputatione de Fabulatoribus Latinis, supra citata p. 33. ubi laudat Funcci Apologiam pro Phaedro p. 36. esti Phaedrum, aetate provectum, si non omnes fabulas, certe partem, scripsisse putet. —

Sub Claudio scripsisse, et sub Seiani nomine Narcissum perstringere, coniectura est Cannegieteri. o) Non enim opportuniorem licentiae, quam sibi sumsit Phaedrus, locum fuisse, quam sub imperatore Claudio, cuius stoliditate et patientia plures, in locis etiam publicis atque in foro, sint abusi re pariter ac verbis iniurii; p) fabulam de tigillo rege, contumeliis inquinato; huic imperatori esse aptissimam; convenire etiam tempori huic libertinorum potentiam. Nam Eutychum, Particulonem, Philetum, quos amicos suos non inhonoratos laudet Phaedrus, libertinos arbitratur fuisse, id quod servilia nomina ei indicare videntur. At vero si Claudio imperante licentiae locus fuit; si in locis publicis atque in foro licuit, iniurium esse: qui quaeso fieri potuit, ut licentia, quam sibi sumserat Phaedrus vitio ei verteretur, isque magnum inde caperet detrimentum? Sed tamen, Particulonem atque Philetum Claudii fuisse libertos, non magis negaverim, quam Librum IV. et V. fabularum hoc regnante a Phaedro conscriptos fuisse.

Cel. Saxius, ut argumento tituli Prolog. III. ad Eutychum, eumdem fortassis, qui potentissimus Cali-

---

o) Diss. cit. de Aetate et Stylo Aviani. p. 270. sq.

p) Exempla dabit *Suetonius* in Claud. Cap. XV.

gulae libertus fuit, teste Iosepho, q) simul ut loco Senecae r) quodammodo satisfaceret, medio Phaedrum Claudii principatus tempore posuit A. C. 48. s) Seiano, iam exstincto, nostrum fabulas suas opposuisse, coniectura est Io. Fabricii. t) Sunt denique, qui poëtam imperante Augusto vixisse, sed fabulas, in quibus nomen Seiani legitur, demum sub Claudio iuris publici fecisse affirment. u)

Si quis iis adsentiri velit, quae supra disputavi, nixus argumentis, non penitus contemnendis, nulla potest esse dubitatio, Phaedrum iamiam vixisse regnante Octavio Augusto. Is enim eum vindicaverat in libertatem, et facit Phaedrus honorificam nominis eius mentionem. Aureae tamen aetatis scriptoribus poëta propterea non adnumerandus est; cum demum sub Tiberio artis poëticae laude florere et fabulas scribere coeperit. Mortuo enim Augusto, cum Tiberius anno imperii XII. Roma excessisset, numquam eam revisurus; et petiisset Capreas insulam, ubi in otio turpique inertia vivebat, de imperio parum sollicitus; edidit Phaedrus post annum Christi XXVI. duos priores fabularum libros, in quibus coniectura probabili Tiberium, Seianum aliosque Romanorum pontentes notaverat. Quo cum in acerbissimum venisset odium, et conflictaretur

q) Ant. Iud. Libr. XIX. Cap. IV. p. 942. Edit. Havercamq.

r) Consol. ad Polyb. Cap. XXVII. de quo loco vide infra Disputationem de *Phaedro antiquitatis scriptore.*

s) Vid. *Saxii* Onomast, T. I. p. 241.

t) In Hist. Biblioth. Fabrician. P. VI. p. 319.

u) Io. Pet. *Millerus* in Praef. ad Edit Phaedri. Berol. 1753. in lucem emissam.

cum fortuna adversa, cautior deinde factus, fabulas, scriptas ad leniendum dolorem, iuris publici non fecit. Sic composuit, ut videtur, Librum III. dedicavitque, ut ipse ait, honori et meritis Eutychi. Qui si idem est cum Eutycho, opibus et gratia florente in aula Caligulae, x) tertius fabularum liber ad huius imperatoris tempora referendus est; etsi, Prologum et aliam atque aliam huius libri fabulam e. g. L. III. F. II. Phaedrum, vivis adhuc Tiberio et Seiano, scripsisse, non negaverim. Verumtamen poëta voluisse videtur, ut praeter Eutychum a nullo alio legerentur Fabulae, et demum post ipsius mortem in vulgus ederentur; quemadmodum supra vidimus e Prol. Lib. III. 29 — 32. praeeunte Desbillonio. Duos posteriores fabularum libros, quos dedicavit Phaedrus Particuloni et Phileto, fuisse sub Claudio scriptos, facile crediderim. Convenit enim huic tempori, ut ait Cannegieterus, libertorum potentia. Videntur autem cum Particulo, tum Philetus, cuius meminit Lib, V. F. X. 10. Claudii fuisse liberti. Namque apud Gruterum y) occurrit Tib. Claud. Philetus, et alio loco z) Philetus libertus in lapide Brixiensi; Veletris autem in pavimento Ecclesiae Cathedralis legitur Tib. Cl. Philetus Lib. a) Sed vix dubitandum, libros memoratos non nisi post Phaedri

x) *Iosephus* L. c. Christian *Wase* Libr. de Senario p. 32. *Fabricii* B. L. T. II. p. 24. et 25 De Eutycho fusius egi in Exc. I. ad Lib. III.

y) Corp. Inscriptt. p. DCLXXVII. 2.

z) Lib. cit. p. CCCLII. 4.

a) Vid. Not. *Gudii* ad Phaedri Lib. V. F. X. 10. coll. infra Not. ad loc. cit.

exitum lucem adspexisse. Accepta enim tanta e fabulis calamitate, an credibile est, Phaedrum, tot aerumnas perpessum, de fabulis, denuo edendis, cogitavisse? immo vero, omni liberatus periculo, nihil prius habuerit, nihil antiquius, quam ut in dulci censenesceret otio. b)

Quando vita excesserit Phaedrus, non liquet. Qui vero etsi ad summam senectutem vixisse videtur, ut e nonnullis fabularum locis, in quibus senectutis suae mentionem facit, c) non obscure colligi potest: ad Vespasiani tamen, aut Domitiani tempora in vivis fuisse, quod Pagenstecherus contendit, vix est credibile.

Naturam habuisse Phaedrum, probitatis atque honestatis amantem, tot egregiae ostendunt sententiae, quae in eius fabularum opusculo leguntur. Id ipsum probitatis animosque hominum a vitiis ad virtutem traducendi studium, non malus animus, eum ad scribendas fabulas excitasse videtur, quemadmodum e multis opusculi sui locis luculenter apparet. Sic scribit Prol. Lib. II. 2. 3.

Nec aliud quidquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium.

Sed Prol. Lib. I. 3. 4.

Duplex libelli dos est: quod risum movet,
Et quod prudenti vitam consilio monet.

Quibus adiungo locum Prol. III. 49. 50.

Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores huminum ostendere.

---

b) *Desbilloni* Disp. de Vita Phaedri p. XII.

c) Huc maxime referunt viri docti Lib. V. F. X.

Huc quoque referendum, quod habet Lib. II. v. 5. de ardelionum natione, multa agendo nihil agente:

Hanc emendare, si tamen possum, volo.

In quo tamen studio, mores hominum corrigendi, iusto audacior et parum cautus providusque fuisse, et urbem principesque nimio sale defricuisse putandus est. d) Quae cum ita sint, equidem nolim contendere cum Scheffero, primam scribendarum fabularum caussam fuisse calamitatem, in quam odio et persecutione Seiani inciderit Phaedrus, qui, cum ei non licuerit aperte, ob adversarium potentem, occulte saltem et sub involucris fabularum fortunam exponere, depingendoque mores eius et flagitia, velut ultionem sumere de ipso, seque consolari sic susceperit. Ita enim intelligit locum Prol. Lib. III. 34—40. Sed antecedentia docent, vero esse simillimum, Phaedrum demum, duobus prioribus fabularum libris in vulgus emissis, in odium venisse Seiani, auctoris calamitatis suae; adeoque primam fabularum conscribendarum caussam non fuisse calamitatem, immo vero homines emendandi desiderium. Ad quod accedebat laudis et gloriae cupiditas, illius maxime, quae est ex litteris, et immortalitatis desiderium, quo inflammatum fuisse poëtam, haud unus testatur fabularum locus. Namque Prol. Lib. III. 60. 61.

Ergo, inquit, *hinc abesto, livor, ne frustra gemas,*
Quoniam mihi sollemnis debetur gloria.

Sic Epil. IV. 5. 6.

Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium litteris.

---

d) *Desbillonius* l. c. p. XIII.

Quae docent, tam praeclare de se sensisse Phaedrum, ut et aliis famam nominis et immortalitatem dare posse scriptis suis crederet: e) ut omittam loca, quae nostrum praedicari de se, et nominari a posteritate voluisse, manifesto probant. f)

---

e) Hoc nomine perstringitur noster ab Adriano *Baillet*, in *Iugemens des Savans* T. IV. p. 148. Sed vide ad Epil. VI. 5. 6. et Excurs. XVIII. ad Epil. *Desbillonium* in Disp. I. de Vita Phaedri p. XIV. qui non ita benigne spurcam aeque ac indoctam narrationem de Canum legatis ad Iovem, vel impudicam obscenitatem, cuius vestigia in fabellis eius supersunt, excusari posse credit. Sed indulgendum genio saeculi, ut mihi quidem videtur.

f) Vide e. c. Prol. III. 32.

INDEX
CODICUM ET EDITIONUM,
QUAE IN VARIARUM LECTIONUM DELECTU LAUDANTUR ORDINE ALPHABETICO CONCINNATUS.

CODICES.

Petri Danielis, nonnisi tertiam libri primi partem complectens; ab aliis appellatur Codex Petavianus, Schedae regiae, Codex Vossianus.

Perottinus novissime excussus per Cataldum Ianellium duobus libris a se editis, qui ita inscribuntur, alter: *Codex Perottinus MS. regiae bibliothecae Neapolitanae duas et triginta Phaedri fabulas iam notas, totidem novas, sex et triginta Aviani vulgatas et ipsius Perotti carmina inedita continens, digestus et editus a* CATALDO IANELLIO *eiusdem regiae bibliothecae scriptore, qui variantes etiam lectiones adposuit, tum deficientes et corruptas tentavit. Neapoli* 1809. *Ex regia Typographia.* 8. Alter: *In Perottinum Codicem MS. regiae bibliothecae Neapolitanae; quo duae et triginta Phaedri fabulae iam notae, totidem novae, sex et triginta Aviani vulgatae et ipsius Perotti carmina inedita continentur* CATALDI IANELLII *eiusdem regiae bibliothecae scriptoris Dissertationes tres. Neapoli.* 1811. *Ex regia Typographia.* 8. Quo utroque libro in hac editione adornanda nobis uti licuit.

Pithoeanus, unde editio princeps facta est.

Remensis.

EDITIONES.

Rich. *Bentleii.* Cantabrigiae. 1726. 4.
Bipontina. 1784. 8.
F. H. *Bothii.* Lips. 1803. 8.
Gab. *Brotier.* Paris. 1783. 8.
Petr. Burmanni cum integris commentariis Marquardi Gudii, Conr. Rittershusii, Nic. Rigaltii, Nic. Heinsii, Io. Schefferi, Ioan. Lud. Praschii, et excerptis aliorum. Amstelod. 1698. 8.
Eiusdem Edit. II. Hagae Comit. 1718. 8.
Eiusdem Edit. III. cum novo commentario. Leidae. 1727. 4.
Cassiti. Phaedri Augusti Liberti et Fl. Aviani Fabulae. Accedit in hac novissima editione Phaedri Liber sextus repertus a Ioanne Antonio Cassito in codice MS. Reg. Bibl. cum parvis eiusdem scholiis Neapoli. 1817. Ex typographia Ianuarii Reale. 12.
Cuninghami. Edinburgi. 1757. 8.
Franc. Ios. Desbillons. Manhemii. 1786. Ed. altera a Bothio curata. Ibid. 1825.
Tanaquilli Fabri. Salmurii. 1657. 4. rursus prodiit multo locupletior Ibid. 1664. 12. etiam bis postea repetita.
Io. Frid. Gronovii et Iacobi Gronovii Amstelod. 1703. 12.
Gudii notae insunt in Ed. Burmann.
Harii Epistola critica de notis Bentleii in Phaedrum. Londin. 1726. editioni quoque Burmannianae anni 1727. subiecta.
Heinsii notae insunt Ed. Burmann.
Io. Mich. Heusinger Isenaci. 1740. 8. repatita 1772 et 1800.
Davidis ab Hoogstraten. Amstel. 1699. 12.
Eiusdem Editio maior. Amstel. 1701. 4.
Ioann. Meursii. Antverp. 1610. 8.
Is. Nic. Neveleti in eiusdem *Mythologia Aesopica.* Francof. 1610. 8.
Petr. Pithoei. Editio princeps. Augustobonae Tricassium (Troyes.) 1596. Pagg. 70. 12.
Io. Lud. Praschii. Gissae. 1660. 8.
Nic. Rigaltii. Ed. I. Paris. 1599. 12. Ed. II. Ibid. 1617. 4. Ed. III. Ibid. 1630. 12.

Conr. Rittershusii. Lugd. Batav. 1598. 8. cum notis Gasp. *Scioppii.*

Io. Schefferi cum notis *Franc. Guyeti.* Upsal. 1663. 8. Edit. I. Ibid. 1667. Ed. II. Hamburg. 1673. 8. Edit. III. Francof. 1687. 8. Ed. IV. Franequerae. 1694. 8. Ed. V. Hamburg. 1706. 8.

Ioann. Gottlob. Sam. Schwabii. Brunsvigae. 1806. 2. Voll. 8.

F. H. Titzii. Prag. 1813. 8.

K. H. Tzschuckii Misenae. 1790. 12.

Io. Henr. Ursini Ratisbon. 1657. 8.

Christoph. Waasii Londin. 1668. 8. et 1679. 8.

Praeter hos Codices et Editiones adhibentur in variarum lectionum delectu: *Romulus* scriptor incertae aetatis sed saeculo XIII. antiquior, qui composuit fabularum Aesopiarum Lib. IV. prosa oratione, quae quidem fabulae a Phaedro manifesto sunt assumtae, ut eiusdem metaphrastes haberi possit, primum editus Ulmae, sine mentione anni, intra ann. 1476—1484. deinde ex Codice Divionensi a Schwabio.

Anonymus Neveleti, sub cuius nomine circumferuntur 60 fabulae genere elegiaco scriptae et expressae e prosaicis Romuli fabulis.

Anonymus Nilantii, cuius habentur 67 fabulae prosa oratione scriptae ex Phaedro expressae. Editae sunt hae fabulae cura I. F. Nilant.

Vincentius Bellovacensis, qui speculo suo doctrinali inseruit fabulas aliquot Phaedri oratione soluta expressas.

PHAEDRI
AUGUSTI LIBERTI
FABULARUM AESOPIARUM
LIBRI V.

PHAEDRI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER I.

PROLOGUS.

Aesopus auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est: quod risum movet,
Et quod prudentis vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum ferae;
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

FAB. I.

LUPUS ET AGNUS.

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat lupus,

Prolog. *v.* 1. *repperit* Cod. Pith. et Rem. Sed Cf. Desbillions. — *v.* 3. Ita Cod. Rem. *libelli mos est* Cod. Pith. *duplex libellis os est* Ed. I. Rigalt. — *v.* 4. *prudentis* Codd. et vetustissimae Edd. *prudenti* inde a Rigaltio plurimae editiones. Desbill. tuetur in commentario *prudentis,* etsi utraeque eius Edd. ferunt *prudenti.* Cf. eius notas ad calcem editionis nostrae adiectas.

Longeque inferior agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus, iurgii causam intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi aquam
Istam bibenti? Laniger contra timens:
Quî possum quaeso facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.
Respondit agnus: Equidem natus non eram. —
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
  Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

FAB. II.

RANAE REGEM PETENTES.

Athenae quum florerent aequis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit,
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus.
Quum tristem servitutem flerent Attici,
(Non quia crudelis ille, sed quoniam grave

Fab. I, *v.* 3. *fauce* Cod. Rem. confirmat Romul. *face* Cod, Pith. Cf. Schwab. — *v.* 5. Ita Codd. et primae Edd. eamque lectionem tuetur etiam Desbill. esti in eius Edd. aliter legitur. Vid. not. Ed. Rigalt. *fecisti mihi Aquam* sublata voce *istam*. Burm. *turbulentam fecisti mihi Istam bibenti*. Alii aliter. Nec vero est, cur a Codd. recedamus. — *v.* 10. *ante hos sex menses, ait, male dixisti mihi.* Cod. Pith. *at* Cod. Rem. pro *ait* teste Desbill. in notis Vid. infra. Locum, ut nos dedimus, metro subveniens restituit Gudius. — *v.* 12. *Hercule* restituit Rigalt. Codd. *hercle.*

Fab. II, *v.* 4. *Hic* pro *hinc* Heins. e margine Cod. Pith. Bentleio sequente. — *conspiratis* Cf. Desbill. — *v.* 7 et 8. Codd. *gravis omnino insueti onus est.* Plurimae Edd. *grave Omnino in-*

Omnino insuetis onus,) et coepissent queri:
Aesopus talem tum fabellam retulit.
Ranae, vagantes liberis paludibus,
Clamore magno regem petiere a Iove,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadis
Motu sonoque terruit pavidum genus.
Hoc mersum limo quum lateret diutius,
Forte una tacite profert e stagno caput,
Et explorato rege cunctas evocat.
Illae, timore posito, certatim annatant,
Lignumque supra turba petulans insilit.
Quod quum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes regem misere ad Iovem;
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.
Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere coepit singulas. Frustra necem
Fugitant inertes; vocem praecludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iovem,
Afflictis ut succurrat. Tunc contra Deus,
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum;
Malum perferte. Vos quoque, o cives, ait,
Hoc sustinete, maius ne veniat, malum.

FAB. III.

GRACULUS SUPERBUS ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,

---

suetis onus; Heinsius *omne insuëtis,* quae lectio nunc fere editiones occupat. *Omnino* tuetur Desbillon. quem Vid. ad calcem huius ed. — *v.* 14. *vadis* Cod. Pith. *vadi* Cod. Rem. Anonymus Nilantii qui fere verbo tenus hanc fabulam expressit *missum levi motu sonoque terruit pav. gen.* — *v.* 16. Bentl. coniectura: *immersae limo cum laterent diutius,* confirmata ab Anonymo Nil. qui habet: *mersae limo cum laterent.* — *v.* 20. *super* Edd. quaedam.

Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani graculus superbia,
Pennas, pavoni quae deciderant, sustulit,
Seque exornavit: deinde contemnens suos
Immiscuit se pavonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Male mulcatus graculus
Redire maerens coepit ad proprium genus:
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et, quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FAB. IV.

CANIS PER FLUVIUM CARNEM FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum appetit.
Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:
Aliamque praedam ab alio ferri putans,
Eripere voluit; verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore, dimisit cibum,
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

FAB. V.

VACCA, CAPELLA, OVIS ET LEO.

Nunquam est fidelis cum potente societas:
Testatur haec fabella propositum meum.

Fab. IV, *v.* 4. Pith. edidit *perferri;* alii editores aliter metro subveniendum putarunt. Cf. Desbill. ad calcem h. ed. — *v.* 7. Codd. *adeo potuit.* Rigalt. in Ed. 2. transposuit *potuit adeo* metri gratia.

Vacca et capella, et patiens ovis iniuriae,
Socii fuere cum leone in saltibus.
Hi quum cepissent cervum vasti corporis,
Sic est locutus, partibus factis, leo:
Ego primam tollo, nominor quia leo;
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;
Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia;
Malo afficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

FAB. VI.

RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus, et continuo narrare incipit:
Uxorem quondam Sol quum vellet ducere,
Clamorem ranae sustulere ad sidera.
Convicio permotus quaerit Iupiter
Causam querelae. Quaedam tum stagni incola,
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras arida sede emori
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

FAB. VII.

VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

Personam tragicam forte vulpis viderat:
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Fab. V, *v.* 7. Ob ultimam syllabam vocabuli *quia* hoc loco contra vulgarem usum productam plurimi editores refinxerunt versum. Maxime se commendat coniectura Richteri: *quoniam nominor leo.* Cf. Desbill. et Both.

FAB. VIII.

LUPUS ET GRUIS.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat: primum, quoniam indignos adiuvat;
Impune abire deinde quia iam non potest.
Os devoratum fauce quum haereret lupi,
Magno dolore victus coepit singulos
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando gruis,
Gulaeque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam lupo.
Pro quo quum pactum flagitaret praemium:
Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postules.

FAB. IX.

PASSER ET LEPUS.

Sibi non cavere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab aquila, fletus edentem graves,
Leporem obiurgabat passer. Ubi pernicitas
Nota, inquit illa est? quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra irridebas mala,
Simili querela fata deploras tua.

Fab. VIII, *v.* 10. Cod. Pith. *Pro quo cum facto*; emendavit Gnd. *pactum* e Cod. Rem. qui habet *factum*. Editio Desbill. *Pro qua*, sed in commentario eius manu scripto, qui penes me est probat lectionem Cod. Pith. — *v.* 12. Codd. *postulas*. Correxit Rittershus.

Fab. IX, *v.* 8. Meurs. coni. *mortis in solatium* Cf. Schwab.

FAB. X.

LUPUS ET VULPIS IUDICE SIMIO.

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur brevis Aesopi fabula.
  Lupus arguebat vulpem furti crimine:
Negabat illa, se esse culpaè proximam.
Tunc iudex inter illos sedit simius.
Uterque causam quum perorassent suam,
Dixisse fertur simius sententiam:
Tu non videris perdidisse, quod petis;
Te credo surripuisse, quod pulchre negas.

FAB. XI.

ASINUS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.
  Venari asello comite quum vellet leo,
Contexit illum frutice, et admonuit simul,
Ut insuëta voce terreret feras,
Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
Clamorem subito totis tollit viribus,
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes èxitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrendo ìmpetu.
Qui postquam caede fessus est, asinum evocat,
Iubetque vocem premere. Tunc ille insolens:
Qualis videtur tibi opera haec vocis meae? —

Fab. XI, *v.* 6. Ita Cod. Daniel. Sed Cod. Pith. *Hic auriculas clamorem et subito tollit totis viribus;* unde Desbill. *Auriculas hic et Clamorem subito tollit totis viribus.* — *v.* 10. *affliguntur* Cod. Daniel. *afficiuntur* Codd. Pith. et Rem. — *v.* 11. Omittitur *est* in Cod. Pith. — *v.* 13. Ita dedit Desbill. addens

Insignis, inquit, sic ut, nisi nossem tuum
Animum genusque, simili fugissem metu.

FAB. XII.

CERVUS AD FONTEM.

Laudatis utiliora, quae contempseris,
Saepe inveniri, haec exserit narratio.
Ad fontem cervus, quum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat;
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari coepit morsibus saevis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Utilia mihi quam fuerint, quae despexeram,
Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

FAB. XIII.

VULPIS ET CORVUS.

Qui se laudari gaudet verbis subdolis,

---

in commentario MS. „Hanc revocavimus lectionem Codicum Pithoeani et Remensis, quae cum dictionem elegantem, versumque satis concinnum exhibeat, immutari non debuit.“ — *v.* 15. *fugissem* Cod. Daniel. sed Codd. Pith. et Rem. *fuissem et metu.*

Fab. XII, *v.* 1 et 2. Cod. Daniel. *Saepe esse utiliora, quae contempseris, Eiusce rei testis haec narratio est.* — *v.* 14. Ita Cod. Dan. Nam Codd. Pith. et Rem. *ut illa mihi quam profuerint.* Inde multae Edd. *ut illa mihi profuerint, quae desp.*

Fab. XIII, *v.* 1. et 2. Ita Codd. Pith. et Rem. Sed Cod. Daniel.

Fere dat poenas turpi poenitentia.
Quum de fenestra corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore;
Hunc vidit vulpis, deinde sic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore et vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum; quem celeriter
Dolosa vulpis avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit corvi deceptus stupor.
[Hac re probatur, ingenium quantum valet,
Virtute et semper praevalet sapientia.]

FAB. XIV.

EX SUTORE MEDICUS.

Malus quum sutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere coepisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis acquisivit sibi famam strophis.
Hic quum iaceret morbo confectus gravi
Rex urbis, eius experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua
Antidoto miscere illius se toxicum,
Combibere iussit ipsum, posito praemio.
Timore mortis ille tum confessus est,

Qui se laudari gaudent verbis subdolis, Serae dant poenas turpi poenitentiae. Cf. Desbill. ad calcem h. ed. — *v.* 5. Cod. Rem. *Vulpis hunc vidit, dehinc* etc. Cod. Daniel. *Vulpes ut vidit, deinde.* — *v.* 7. *decorem* Cod. Daniel. — *v.* 14 et 15. ab Heinsio, Bentleio, aliis etiam a Desbill. in commentario MS. spurii habentur.

Fab. XIV, *v.* 4 et 5. Lessingius pro spuriis habet. Cf. Schwab. — *v.* 9. Correxit Burmann. Nam Codd. *Bibere iussit.*

Non artis ulla medicum se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.
Rex advocata concione haec edidit:
Quantae putatis esse vos dementiae,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commisit pedes?
  Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum stultitia quaestus impudentiae est.

FAB. XV.

ASINUS AD SENEM PASTOREM.

  In principatu commutando civium
Nil praeter domini nomen mutant pauperes.
Id esse verum, parva haec fabella indicat.
  Asellum in prato timidus pascebat senex.
Is, hostium clamore subito territus,
Suadebat asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus: Quaeso, num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negavit. Ergo quid refert mea.
Cui serviam, clitellas dum portem meas?

FAB. XVI.

CERVUS ET OVIS.

Fraudator homines quum vocat sponsum improbos,

— *v.* 11. *medicum* Codd. *medicae* plurimae Edd. ex coniectura Heinsii. — *v.* 13. *edidit* emendarunt Gronov. et Heinsius. Codd. *addidit.* — *v.* 18. Cod. Pith. *Quorum stultitiae quaestus impudentia est.* Cod.. Rem. *imprudentia.* Cf. Desbill. ad calcem h. ed.

Fab. XV, *v.* 1. Codd. Pith. et Rem. *In principatu commutando civium saepius;* delevit Pith. in editione sua *civium,* Rigalt. *saepius,* quem quidem plurimi sequuntur. — *v.* 2. Codd. *praeter domini mores;* Bongarsius emendavit *nomen,* ab omnibus fere receptum.

Fab. XVI, *v.* 1. Cod. Pith. et primae Edd. *Fraudator homi-*

Non rem expedire, sed malum dare expetit.
Ovem rogabat cervus modium tritici,
Lupo sponsore; at illa praemetuens dolum:
Rapere atque abire semper assuevit lupus,
Tu de conspectu fugere veloci impetu:
Ubi vos requiram, quum dies advenerit?

FAB. XVII.

OVIS, CANIS ET LUPUS

Solent mendaces luere poenas malefici.
Calumniator ab ove quum peteret canis,
Quem commendasse panem se contenderet;
Lupus, citatus testis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis, damnata falso testimonio,
Quod non debebat, solvit: post paucos dies
Bidens iacentem in fovea prospexit lupum:
Haec, inquit, merces fraudis a Superis datur.

FAB. XVIII.

MULIER PARTURIENS,

Nemo libenter recolit, qui laesit, locum.

nes cum avocat sponsore improbo. Cod. Daniel. *Fraudator nomen cum locat sponsu improbo.* Cod. Rem. teste Desbillon in commentario MS. ita ut nos in textu. — *v.* 2. Cod. Pith. *mala videre expedit,* unde Pith. edidit *expetit.* Gebhardus: *sed malum addere* vel *dare expetit.* Probavit Gronovius *malum dare,* quod plurimae Edd. receperunt.

Fab. XVII, *v.* 3. *commendasse* Codd. Pith. et Rem. indeque plures Edd. inter quos Desbill. et Schwab. *commodasse* Cod. Daniel. et plurimae Edd. — *v.* 5. *deberi* Codd. Pith. Rem. Vett. Edd. plurimis sequentibus; *debere* Cod. Daniel. — *v.* 8. Codd. Pith. et Rem. *Ovis iacentem;* Cod. Daniel. *Videns iacentem,* unde Heins. correxit *Bidens.*

Instante partu, mulier, actis mensibus,
Humo iacebat, flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturae melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri, quo conceptum est initio.

FAB. XIX.

CANIS PARTURIENS.

Habent insidias hominis blanditiae mali:
Quas ut vitemus, versus subiecti monent.
  Canis parturiens quum rogasset alteram,
Ut fetum in eius tugurio deponeret,
Facile impetravit; dein reposcenti locum
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumpto, flagitare validius
Cubile coepit. Si mihi et turbae meae
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

FAB. XX.

CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

Fab. XVIII, *v.* 2. *peractis mensib.* Codd. et primae Edd. *actis* emendavit Meursius. — *v.* 3. *humo* Codd. et primae Edd. *humi* auctore Heinsio plurimae recentiores Editiones. Cf. Desbillon. not. ad calcem h. ed. — *v.* 6. *inquit illa* Cod. Daniel.

Fab. XIX, *v.* 7. *deducere* Cod. Dan. — *v.* 8. *flagitari ut validius* ete. coniecit Bentl. — *v.* 9. Cod. Pith. et Daniel. *Cubile coepit. Illa si mihi* cet. Salmasius delevit vocem *illa;* Heinsius coniecit: *Cubile coepit. Illa, mihi et turbae meae Par si, inquit esse potueris, cedam loco.*

Corium depressum in fluvio viderunt canes:
Id ut comesse extractum possent facilius,
Aquam coepere ebibere; sed rupti prius
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

FAB. XXI.

LEO SENEX, APER, TAURUS ET ASINUS.

Quicunque amisit dignitatem pristinam,
Ignavis etiam iocus est in casu gravi.
Defectus annis et desertus viribus
Leo quum iaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem iniuriam:
Infestis taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
Impune laedi, calcibus frontem extudit.
At ille exspirans: Fortes indigne tuli
Mihi insultare: te, naturae dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

FAB. XXII.

MUSTELA ET HOMO.

Mustela ab homine prensa, quum instantem necem
Effugere vellet, Parce quaeso, inquit, mihi,

Fab. XX, *v.* 5. *ebibere* Cod. Dan. sed Pith. Rem. et vett. Edd. *bibere.*

Fab. XXI, *v.* 3. *defectus armis* Cod. Rem. — *v.* 7. *infestis* Cod. Daniel. quam lectionem omnes fere Edd. receperunt; sed Codd. Pith. et Rem. *infestus.* — *v.* 9. *extudit* Codd. Rem. et Daniel. Sed Cod. Pith. *extorxit,* unde Pithoeus coniectura *exterit.* — *v.* 12. Neveletus coniectura, et post ipsum multi alii; *Quod ferre cogor, certe bis videor mori.*

Fab. XXII, *v.* 2. Ita emendavit Bentleius; in Codd. est *quae-*

Quae tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: Faceres si causa mea,
Gratum esset, et dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc in se dictum debent illi agnoscere,
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

FAB. XXIII.

CANIS FIDELIS.

Repente liberalis, stultis gratus est,
Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus quum fur panem misisset cani,
Obiecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini. Multum falleris:
Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

FAB. XXIV.

RANA RUPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

---

so, inquit, parce mihi, quod metro repugnat. — *v.* 4. *facerem* Codd. et primae Editiones; *faceres* emendavit Bongars. — *v.* 12. *iactant* Codd. et vett. Edd. *iactat* coniecit Rittershus. idque a pluribus editoribus receptum est.

Fab. XXIII, *v.* 4. *posset* emendavit Rittershus. quem plurimi sequuntur. In Codd. et vett. Edd. est *possit,* quod Schwabius cum Bipontinis tuetur.

In prato quodam rana conspexit bovem,
Et, tacta invidia tantae magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem; tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Maiore nisu; et simili quaesivit modo,
Quis maior esset. Illi dixerunt bovem.
Novissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

FAB. XXV.

CANIS ET CORCODILUS.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur quum currens bibere coepisset canis,
Sic corcodilus: Quam libet lambe otio,
Noli vereri. At ille: Facerem mehercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

Fab. XXIV, *v.* 2. *quodam* Codd. et vett. Edd. Sed plerique receperunt Heinsii coniecturam: *quondam.*

Fab. XXV, *v.* 4. *Corcodilis* ut infra *Corcodilus* Cod. Rem. Plurimae Edd. *Crocodilis.* — *v.* 6. Ita locum constituit Rigaltius in edit. anni 1630. In Codd. Pith. et Rem. mendose: *Quamlibet lambe ocius* (vel Heinsio teste *otio*) *pota accede noli timere sedulo ait at noli vereri inquit at ille facere mehercule.* Duplicem emendandi rationem inierunt viri docti, cum alteri, ut Rigaltius, binos tantum versus ex his verbis conficerent, reliqua pro glossemate habentes; alteri tres versus complerent, inter quos quidem Desbillonius admodum igeniose sic: *Quamlibet lambe: ocius Potare noli: accede; quid times? dolos Noli vereri. At ille* cet. Idemque in commentario MS. hanc quoque coniecturam proponit: *Lamibs, inquit, ocyus: Accede, pota sedulo quantum libet; Noli timere.*

FAB. XXVI.

VULPIS ET CICONIA.

Nulli nocendum; si quis vero laeserit,
Multandum simili iure, fabella admonet.
  Vulpes ad coenam dicitur ciconiam
Prior invitasse, et illi in patena liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit ciconia.
Quae vulpem quum revocasset, intrito cibo
Plenam lagonam posuit: huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, et torquet convivam fame.
Quae quum lagonae collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

FAB. XXVII.

CANIS, THESAURUS, ET VULTURIUS.

Haec res avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles nati, dici locupletes student.
  Humana effodiens ossa, thesaurum canis
Invenit, et violarat quia Manes Deos,
Iniecta est illi divitiarum cupiditas,
Poenas ut sanctae religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumptus. Quem stans vulturius super
Fertur locutus: O canis, merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Trivio conceptus, et educatus stercore.

Fab. XXVI, *v.* 3. *Vulpis* Codd. Pith. et Rem. quod metri causa mutandum erat. — *v.* 4. Codd. Pith. et Rem. *et ei liquidam in patena*, contra metri rationem. Nos lectionem Rigalt. Ed. anni 1617 cum multis aliis sequimur.

Fab. XXVII, *v.* 4. *violarat* Cod. Rem. *violat* Cod. Pith. unde Pith. edidit *violavit*.

FAB. XXVIII.

VULPIS ET AQUILA.

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiae.
Vulpinos catulos aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent.
Hanc persecuta mater orare incipit,
Ne tantum miserae luctum importaret sibi.
Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila ut periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex vulpi tradidit.

FAB. XXIX.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

Plerumque stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.
Asellus apro quum fuisset obvius,
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit?
Asinus demisso pene: Similem si negas
Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.

Fab. XXVIII, *v.* 2. Codd. Pith. Rem. et vett. Edd. *solertia.* Rigaltius anno 1617 et alii deinde omnes *solertiae.* — *v.* 8. Ita Codd. Sed Brotier et aliquot recentiores eum secuti *Ab ara vulpis.* — *v.* 12. *tradidit* Codd. Sed *reddidit* habet Anonymus Nilant. et Romulus Divion. Inde Lallem. alii dederunt *reddidit.*

Fab. XXIX, *v.* 7. In Cod. Pith. recenti manu emendatum *demisso pede;* hinc Pithoeus dedit *dimissis pedibus.* Anonymus Nilant. *extenso pede ostendit ungulam, et mox: hic rostro tuo similis.*

Aper quum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram; et, Facilis vindicta est mihi;
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

FAB. XXX.

RANAE METUENTES TAURORUM PROELIA.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.
Rana, in palude pugnam taurorum intuens,
Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu quum illi certarent gregis,
Longeque ab ipsis degerent vitam boves:
Est statio separata, ac diversum genus;
Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

FAB. XXXI.

MILVUS ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.

Fab. XXX, *v.* 5. Codd. *De principatu cum illi certarent gregis Longeque ab illis degerent vitam boves.* Nicol. Heinsius coniecit *cum decertarent* suppresso *illi*, eumque plurimi secuti sunt. Desbillonus priorem versum intactum relinquens alterum coniectura ita refinxit *Longeque ab ulvis degerent vitam boves.* Nos Bothii emendationem in Ed. Desbillonii propositam recepimus. — *v.* 7. Codd. *Est ratio separata, ait, ac diversum genus.* Rigalt. *Natio, ait, separata, ac diversum est genus.* Nos Gudium secuti sumus. Ex Rigaltiana et Gudiana emendatione Lallem. conflavit: *Statio, ait, separata, ac diversum est genus;* eamque [illegible] recepit Desbillon.

Columbae saepe quum fugissent miluum,
Et celeritate pennae vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius aevum ducitis,
Quam regem me creatis icto foedere,
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?
Illae credentes, tradunt sese miluo.
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saevis unguibus.
Tunc de reliquiis una: Merito plectimur.

Fab. XXXI, *v.* 11. *singulas* Codd. *singulis* Pith. ex ingenio. — *v.* 13. Ita Codd. Sed Rigaltius falso putans vitium contra metrum inesse, transposuit *De reliquis tunc una;* quod plurimi editores receperunt.

P H A E D R I

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER II.

AUCTOR.

Exemplis continetur Aesopi genus,
Nec aliud quicquam per fabellas quaeritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergo narrantis iocus,
Dum capiat aurem, et servet propositum suum,
Re commendatur, non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem servabo senis:
Sed si libuerit aliquid interponere,
Dictorum sensus ut delectet varietas,
Bonas in partes lector accipiat velim.
Sic ea rependet illi brevitas gratiam,
Cuius verbosa nec sit commendatio.

Prolog. v. 5. Codd. *Quicunque fuerit ergo narrandi locus.* Emendatio, quam nos recepimus, Graevii est, etiam Desbillonio in commentario MS. probata. Alii aliter coniecerunt: Rittershus. *narrandi iocus;* Guyet. *narrandus logus.* Gud. *narranti iocus;* Bentl. *narrandus iocus.* — *v.* 11. *accipias* Codd. — *v.* 12 et 13. Codd. et primae Edd. *Ita sic, rependet illi brevitas gratiam, Cuius verbosa nescit commendatio.* Rigaltius coniectura: *Sic ista tibi rependet brevitas gratiam, Cuius verbosa ne sit c* 'um duos priores sequentis fabulae versus cum

FAB. I.

IUVENCUS, LEO ET PRAEDATOR.

Attende cur negare cupidis debeas
Modestis etiam offerre, quod non petierint.
Super iuvencum stabat deiectum leo:
Praedator intervenit, partem postulans.
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere;
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque viso retulit retro pedem.
Cui placidus ille, Non est quod timeas, ait,
Et, quae debetur pars tuae modestiae,
Audacter tolle. Tunc diviso tergore
Silvas petivit, homini ut accessum daret.
Exemplum egregium prorsus et laudabile;
Verum est aviditas dives, et pauper pudor.

FAB. II.

ANUS DILIGENS VIRUM MEDIAE AETATIS, ITEM PUELLA.

A feminis utcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.
Aetatis mediae quendam mulier non rudis
Tenebat, annos celans elegantia:

---

prologo continuavit; eumque fere plurimi secuti sunt. Nos lectionem editionis Desbillonianae dedimus, etsi in eius commentario MS. quem Cf. ad calcem, paulo aliter locus quam in editione constituitur. Recentissimae editiones Heinsii coniecturam fere sequuntur: *Ita, si rependet illam brevitas gratiam, Cuius verbosa ne sit commendatio, Attende cur* etc.

Fab. I, *v.* 9. Codd. Pith. et Rem. *quid timeas.* Pith. correxit *quod.*

Fab. II, *v.* 3. Cod. Pith. *quaedam mulier;* Rem. *quedam* cum lineola superinducta, adeoque *quemdam.* — *v.* 4. *tenebat* e Pra-

Animosque eiusdem pulchra iuvenis ceperat.
Ambae, videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere coepere invicem.
Quum se putaret fingi cura mulierum,
Calvus repente factus est: nam funditus
Canos puella, nigros anus evellerat.

FAB. III.

HOMO ET CANIS.

Laceratus quidam morsu vehementis canis,
Tinctum cruore panem misit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: Noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
Quum scierint, esse tale culpae praemium.
  Successus improborum plures allicit.

FAB. IV.

AQUILA, FELES ET APER.

Aquila in sublimi quercu nidum fecerat:
Feles cavernam nacta in media pepererat:
Sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat.
Tum fortuitum feles contubernium

---

schii coniectura omnibus fere probata; in Codd. *tegebat.* — *v.* 8. Codd. Pith. et Rem. primaeque Edd. *Qui se putaret pingi.* Scioppius *Qui se putaret fingi.* Rigalt. *Quum se putaret pingi.* Recentiores fere omnes: *Quum se putaret fingi.*

Fab. III, *v.* 2. Codd. et Edd. primae *panem immisit.* Plerique Gudio et Gronovio praeeuntibus *misit.*

Fab. IV, *v.* 2. *nemoris cultrix* Codd. et primae Edd. *nemoricultrix* coniecit Rittershus, idque plurimi receperunt.

Fraude et scelesta sic evertit malitia.
Ad nidum scandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan et miserae mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facile progeniem opprimat.
Terrore offuso et perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosae suis;
Magno, inquit, in periclo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam complevit locum,
Dolosa tuto condidit sese cavo:
Inde evagata noctu suspenso pede,
Ubi esca se replevit et prolem suam,
Pavorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia sunt consumpti cum suis,
Felique et catulis largam praebuerunt dapem.
  Quantum homo bilinguis saepe concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

FAB. V.

CAESAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum quaedam Romae natio,
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta et aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo

— *v.* 11. Codd. *terrore effuso*. Emendavit Rittershus. *offuso*. — *v.* 17. Codd. et Edd. primae *toto*. Rigaltius correxit *tuto*. — *v.* 24. Ita emendavit Hare. Codd. *felisque catulis*.
Fab. V, *v.* 1. Codd. *Ardalionum*.

Vera fabella: pretium est operae attendere.
  Caesar Tiberius quum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam,
Quae monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum et despicit Tuscum mare;
Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante laeta Domino viridia,
Alveolo coepit ligneo conspergere
Humum aestuantem, come officium iactitans:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Praecurrit alium in xystum, sedans pulverem.
Agnoscit hominem Caesar, remque intelligit.
Is ut putavit esse nescio quid boni,
Heus! inquit Dominus. Ille enimvero assilit,
Donationis alacer certae gaudio.
Tum sic iocata est tanta maiestas Ducis:
Non multum egisti, et opera nequicquam perît;
Multo maioris alapae mecum veneunt.

FAB. VI.

AQUILA, CORNIX ET TESTUDO.

Contra potentes nemo est munitus satis;
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quicquid oppugnant, ruit.
  Aquila in sublime sustulit testudinem:

— *v.* 10. Codd. *prospicit Tuscum mare.* Guyet. emendavit *despicit.* — *v.* 14. *viridia* Heinsius; nam Codd. et primae Edd. *viridaria* versu uno pede longiore. — *v.* 16. *iactans officium come* contra metrum. Nostra lectio debetur Rigaltio. — *v.* 20. *Is* coniectura addiderunt Brotier et Desbillon. *Id* Pith. In Codd. neutra vox reperitur. — *v.* 23. Cf. nota Desbillon. ad calcem huius ed.

Quae quum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto laedi posset condita;
Venit per auras cornix, et propter volans:
Opimam sane praedam rapuisti unguibus,
Sed, nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabit pondere.
Promissa parte, suadet, ut scopulum super
Altis ab astris duram illidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis aquila monitis paruit,
Simul et magistrae large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

FAB. VII.

MULI ET LATRONES.

Muli gravati sarcinis ibant duo:
Unus ferebat fiscos cum pecunia;
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille, onere dives, celsa cervice eminet,
Clarumque collo iactat tintinnabulum;
Comes quieto sequitur et placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque caedem ferro mulum sauciant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus quum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo.

Fab. VI, *v.* 10. *lassabit* Codd. Gud. *lassavit* Cod. Perott. Plurimae Edd.. *lassabis.*

Fab. VII, *v.* 4 et 5. Codd. *eminens, iactans* praeter Cod. Perott. qui habet *iactat;* inde Richter *eminet, iactat* reposuit. — *v.* 8. Codd. Pith. et Rem. *ferro mulum trucidant* contra metrum; Cod, Perott. *ferro mulum sauciant;* Rigaltius coniectura *trusitant*, eumque plurimi secuti sunt.

Nam nihil amisi, nec sum laesus vulnere.
  Hoc argumento tuta est hominum tenuitas:
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

FAB. VIII.

CERVUS ET BOVES.

Cervus, nemorosis excitatus latibulis,
Ut venatorum fugeret instantem necem,
Caeco timore proximam villam petit,
Et opportuno se bubili condidit.
Hic bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex, Vos modo, inquit, parcite:
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus affert, nec ideo videt.
Eunt subinde et redeunt omnes rustici,
Nemo animadvertit: transit etiam villicus,
Nec ille quicquam sentit. Tum gaudens ferus
Bubus quietis agere coepit gratias,
Hospitium adverso quod praestiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Haec inter ipse dominus a coena redit:
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad praesepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt. Tollere haec aranea

— *v.* 12. Cod. Perot. *nec sum passus vulnera.*

Fab. VIII, *v.* 4. *bovili* Cod. Pith. *bobuli* Cod. Rem. indeque Gud. r[illegible] — *v.* 15. *quietus* Bentl. coniectura. — *v.* 23. F[illegible] auctore Scheffero interrogandi signum post *des*

Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta conspicatur cornua.
Quem convocata iubet occidi familia,
Praedamque tollit.
Haec significat fabula,
Dominum vidère plurimum in rebus suis.

EPILOGUS.

Aesopi ingenio statuam posuere Attici,
Servumque collocarunt aeterna in basi,
Patere honoris scirent ut cunctis viam,
Nec generi tribui sed virtuti gloriam.
Quoniam occuparat alter, ne primus forem,
Ne solus esset studui, quod superfuit.
Nec haec invidia, verum est aemulatio.
Quodsi labori faverit Latium meo,
Plures habebit, quos opponat Graeciae.
Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querelam summovet felicitas.
Sin autem doctus illis occurrit labor,

Epilog. Plures Edd. inscribunt *Auctor;* Desbillonius *Auctor ad Lectorem* hac nota in Commentario MS addita: „*Ad Lectorem* non habent MSS. Codices, sed vel hoc, vel aliquid simile supplendum hic fuit, propter versum 12 *si nostrum studium ad auras pervenit tuas;* alioquin locum hunc esse hiulcum dicendum erit, quod et Sanadon aliique Critici arbitrati sunt." — *v.* 1. Ita Cod. Perotti. Sed Cod. Pith. et plurimae Edd. *Aesopo ingentem statuam.* — *v.* 3. Codd. Pith. et Rem. *Patere homini scirent ut cuncti viam.* Cod. Per. *honori,* pro *homini.* Pithoeus, Rigaltius et alii plerique *Patere honoris scirent ut cuncti viam.* Nostra lectio Praschii est. — *v.* 15. Ita Rigaltius dedit auctore

Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere;
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

Rittershusio. Codd. et primae Edd. *Sin autem ab illis doctus occurrit labor;* quam lectionem a plurimis relictam Desbillonius denuo tuetur. — *v.* 18. Iac. Gronovius coniecit: *fatale vitium corde* cet. Bentleius *fatale eventum;* Burmannus *fatalem corde durato exitum feram.*

P H A E D R I

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER III.

PROLOGUS AD EUTYCHUM.

Phaedri libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, a negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis.
Verum, inquit, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horae pereat officii mei.
Non ergo causa est, manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: Aliquae venient feriae,
Quae me soluto pectore ad studium vocent.
Legesne, quaeso, potius viles nenias,
Impendas curam quam rei domesticae,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut assuëtam fortius praestes vicem?
Mutandum tibi propositum est et vitae genus,

Prolog. v. 4. *inquit* uterque Cod. Pith. et Rem. eandemque lectionem tuetur Desbillon. in comment. MS. Vid. ad calcem h. ed. Omnes fere editores inde a Rittershusio contra Codd. *inquis.* — *v.* 5. *officii mei* Codd. Sed plurimas editiones occupavit Heinsii coniectura *officiis meis.* — *v.* 15. Codd. *ut vitae gen.* Emendavit Pith.

Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo tonanti sancta Mnemosyne Iovi,
Fecunda novies, artium peperit chorum;
Quamvis in ipsa natus sim paene schola,
Curamque habendi penitus corde eraserim,
Et laude invicta vitam in hanc incubuerim,
Fastidiose tamen in coetum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quaerit omni vigilia,
Docto labori dulce praeponens lucrum?
Sed iam, quodcunque fuerit (ut dixit Sinon,
Ad regem quum Dardaniae perductus foret)
Librum exarabo tertium Aesopi stilo,
Honori et meritis dedicans illum tuis.
Quem si leges, laetabor; sin autem minus,
Habebunt certe, quo se oblectent posteri.
Nunc, fabularum cur sit inventum genus,
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.
Ego illius pro semita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quodsi accusator alius Seiano foret,

— *v.* 28. Plures metro subventuri ordinem verborum contra Codd. immutarunt. Tuetur Codd. lectionem Desbillonius, etsi in eius editione est *paene sim natus schola*. Vid ad calc. h. edit. — *v.* 22. Codd. *Et laude invita in hanc vitam incubuerim,* ubi primum in verbis *vitam incubuerim* metrum laborat, deinde *laude invita* commodo sensu caret. Transposuit igitnr Praschius *vitam in hanc* omnibus fere sequentibus; tum vocem *invita* alii aliis coniecturis tentarunt: nos Desbillonium secuti sumus; plurimae editiones auctore Gudio *laude multa*. — *v.* 38. Ita emendavit Gudius; Codd. et primae Edd. *Ego illius porro semita feci viam.* Ex Scioppio Rigaltius: *Ego porro illius* etc. Schefferus, sequente Burmanno, *Ego porro illius semitam feci viam.*

Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam.
Huic excusatum me velim nihilominus:
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
Si Phryx Aesopus potuit, si Anacharsis Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, literatae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threïssa quum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
Qui saxa cantu movit, et domuit feras,
Hebrique tenuit impetus dulci mora.
Ergo hinc abesto, livor, ne frustra gemas,
Quoniam sollemnis mihi debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi
Candore noto reddas iudicium peto.

— *v.* 51. *forsan aliquis* Codd. invito metro. Correxit Scioppius *fors.* — *v.* 52. Cod. Pith. *Frige fuisse Aesopum si phryx Aesopus potuit Anacharse Scythae.* Ita Rigaltius in Indice veteris scripturae, anno 1600; non vero: *frige fuisse Aesopus Anacharsae Scythae;* ut Critici huc usque omnes retulerunt, falsis Editionum Hanoviensis et Neveletanae positis ad marginem notis decepti. Pithoeus edidit: *Si Phryx Aesopus potuit Anacharsi Scythae.* Rigaltius auctore Scioppio: *Anacharsis Scytha.* Postremum *si* a Frid. Gronovio accessit. Aliorum coniecturas tacemus. — *v.* 59. *Hebrique* Rigaltii coniectura. Codices: *Herebique*, quam lectionem Desbillonius tuetur. Sed Cf. Schwab.

FAB. I.

ANUS AD AMPHORAM.

Anus iacere vidit epotam amphoram,
Adhuc Falerna faece et testa nobili
Odorem quae iucundum late spargeret.
Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima! quale in te dicam bonum
Antehac fuisse, tales quum sint reliquiae?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

FAB. II.

PANTHERA ET PASTORES.

Solet a despectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decidit.
Videre agrestes: alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis; quidam contra miseriti,
Periturae quippe, quamvis nemo laederet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est: abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis provolat,

Fab. I, *v.* 2. Ita Codd. et pleraeque Edd. Gudius coni. *Adhuc Falerna faece, e testa nobili,* quod multis editoribus placuit. Iannellius ad Codicum lectionem tuendam laudat Hor. Epist. I, 2, *fin.* Martial. Epigr. III, 58. Iuvenal. Sat. VII, v. 431. — *v.* 5. Ita emendavit Gudius. Codd. Pith. et Rem. *qualem te dicam bonam;* Cod. Perott. *quale te dicam bonum.*

Fab. II, *v.* 4. Ob metrum, quod primis vocibus *alii onerant* turbari videretur, alii aliter locum tentarunt. Cf. Desbillon. ad calcem nostrae ed.

Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
Et, cuncta vastans, saevit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui ferae pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini, qui me saxo petierit,
Quis panem dederit; vos timere absistite:
Illis revertor hostis, qui me laeserunt.

FAB. III.

AESOPUS ET RUSTICUS.

Usu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur; causa sed non dicitur;
Notescet quae nunc primum fabella mea.
  Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite. Monstro exterritus,
Ad consulendos currit maerens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondet caput,
Et avertendum victima periculum.
Ille autem affirmat, coniugem esse adulteram,
Et insitivos significari liberos;
Sed expiari posse maiori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisque curam cura maiore aggravant.
Aesopus ibi stans, naris emunctae senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

— *v.* 17. *saxis petierit* Cod. Perott. secundum Iannel. — *v.* 18. Ita Cod. Perott. *quis* Cod. Pith. et Rem. — *v.* 19. *laeserunt* Cod. Perott. *laeserant* Cod. Pith. et Rem. Cf. Schwab.

FAB. IV.

SIMII CAPUT.

Pendere ad lanium quidam vidit simium
Inter reliqüas merces atque obsonia:
Quaesivit, quidnam saperet? Tum lanius iocans,
Quale, inquit, caput est, talis praestatur sapor.
Ridicule magis hoc dictum, quam vere, aestimo.
Quando et formosos saepe inveni pessimos,
Et turpi facie multos cognovi optimos.

FAB. V.

AESOPUS ET PETULANS.

Successus ad perniciem multos devocat.
Aesopo quidam petulans lapidem impegerat.
Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo mehercule,
Sed unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives et potens; huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies praemium.
Persuasus ille fecit, quod monitus fuit.
Sed spes fefellit impudentem audaciam:
Comprensus namque poenas persolvit cruce.

FAB. VI.

MUSCA ET MULA.

Musca in temone sedit, et mulam increpans,
Quam tarda es? inquit; non vis citius progredi?

Fab. IV, *v.* 5. *existimo* pro *aestimo* Cod. Perott. teste Iannellio, idemque coniecerat Bentl.

Fab. V. *v.* 3. Cod. Perott. teste Iannellio *Fio, inquit, melior.*

Vide, ne dolone collum conpungam tibi.
Respondit illa: Verbis non moveor tuis;
Sed istum timeo, sella qui prima sedens
Iugum flagello temperat lento meum,
Et ora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer frivolam insolentiam:
Nam, ubi tricandum et ubi currendum est, scio.
Hac derideri fabula merito potest,
Qui sine virtute vanas exercet minas.

FAB. VII.

CANIS ET LUPUS.

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.
Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occurrit. Salutantes dein invicem
Ut restiterunt: Unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?

Fab. VI, *v.* 3. Cod. Perott. *Vide ne dolosa.* Cf. Desbillon. ad calc. nostrae ed. — *v.* 6. Ita Codd. Pith. Rem. et pleraeque Edd. Sed Cod. Perott. *Iugum flagellans temperat collo meum.* Burmannus coniecit: *Tergum flagello temperat lento meum;* idemque iterum *Cursum flagello* cet. Iannellius *Iugo et flagello temperat collum meum.* — *v.* 7. Cod. Perott. *ora* teste Iannellio, idemque Praschius coniecerat. Cod. Pith. et Rem. *lora.* — *v.* 9. Codd. Pith. et Rem. *Nam ubi tricandum et ubi currendum est scio.* Grutero et Salmasio auctoribus Rigaltius *Namque ubi strigandum,* indeque plurimae Edd. Cod. Perott. referente Iannellio: *Ubi sit tardandum et ultro currendum scio:* Bentl. *currendum sit* pro *est.*

Fab. VII, *v.* 3. Cod. Pith. *Forte occurrit: dein invicem. salutantes* Editiones fere omnes: *Forte occurrit: salutantes dein invicem.* Cod. Rem. *dein salutantes invicem.* Cod. Perott. *dein salutati invicem.* Quo metrum concinnius evaderet, alii aliter refinxerunt; maxime probatur Bentleii coniectura *Forte occucurrit: dein salutans, invicem Ut restiterunt* etc. Unde Iannellius: *Forte occucurrit: dein salutati invicem.*

Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Praestare domino si par officium potes. —
Quod? inquit ille. — Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum. —
Ego vero sum paratus: nunc patior nives
Imbresque, in silvis asperam vitam trahens.
Quanto est facilius mihi, sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo? —
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detritum canis.
Unde hoc? amice. — Nihil est. — Dic, quaeso, tamen. —
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quiescam, et vigilem, nox quum venerit;
Crepusculo solutus, qua visum est, vagor.
Affertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta iactat familia,
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus. —
Age, si quo abire est animus, est licentia? —
Non plane est, inquit. — Fruere, quae laudas, canis.
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

FAB. VIII.

FRATER ET SOROR.

Paecepto monitus, saepe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam,

— *v.* 9. Cod. Perott. *Quale? inquit ille. Custos si fueris liminis.* — *v.* 10. Cod. Perott. omittit particulam *et*, unde Desbillonius in commentario MS. coniicit: *A furibusque tuearis noctu domum.* — *v.* 16. Cod. Perott. *cani;* itemque dativum expresserunt Anonymus Nilant. et Romulus Divionensis. Probant lectionem Heinsius, Bentleius, Schwabius. — *v.* 27. Cod. Perott. *Regnare nolo ni libertatem habeam;* quam quidem lectionem ita metri causa a se refictam *Regnare nolo, libertatem nisi habeam,* vulgatae lectioni praeferendam censet Iannellius.

Idemque insignem pulchra facie filium.
Hi speculum, in cathedra matris ut positum fuit,
Pueriliter ludentes, forte inspexerunt.
Hic se formosum iactat; illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris iocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergo ad patrem decurrit, laesura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille utrumque, et carpens oscula,
Dulcemque in ambos caritatem partiens,
Quotidie, inquit, speculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

FAB. IX.

SOCRATES AD AMICOS.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides.
 Quum parvas aedes sibi fundasset Socrates,
(Cuius non fugio mortem, si famam assequar,
Et cedo invidiae, dummodo absolvar cinis)
E populo sic, nescio quis, ut fieri solet:
Quaeso, tam angustam, talis vir, ponis domum? —
Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

Fab. VIII, *v.* 3. Ita Cod. Perott. Sed Codd. Pith. et Rem. *insigni et pulchra facie.* — *v.* 5. Codd. Pith. et Rem. *inspexerunt*, Gudio et Brotiero testibus, quod iure Iannellius revocavit, cum omnes fere editiones ex Pithoeana habeant *inspexerant.* Cf. supra fab. II. v. 19. huius libri. In Cod. Perotti hoc verbum lacerum est, teste Iannellio, ut de lectione non constet. — *v.* 15. Post hunc versum transponit Iannellius versum fabulae primum, ut non promythium sed epimythium sit.

FAB. X.

POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.

Periculosum est credere, et non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.
  Hippolytus obiit, quia novercae creditum est;
Cassandrae quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum, prius
Quam stulta prave iudicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate elevem,
Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.
  Maritus quidam quum diligeret coniugem,
Togamque puram iam pararet filio,
Seductus in secretum a liberto est suo,
Sperante heredem suffici se proximum,
Qui, quum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis castae mulieris,
Adiecit, id quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido

Fab. IX, *v*. 2. *ponam* Cod. Perott. Ianellius cum syllaba media in voce *utrius* produci possit, non opus esse censet immutatione a Burmanno proposita *breviter exemplum ponam*. — *v*. 5. Cod. Perott. *semper prius*. — *v*. 7. Ita Cod. Pith. teste Desbillonio in Comment. MS. multaeque Edd. Codex Rem. eodem teste: *Sed fabulosa ne vetustatem elevem*. Cod. Perott. *Sed fabulosam ne vetustatem asseras*. Viri docti variis coniecturis locum tentarunt, inter quas praecipue se commendat Bentleii: *Sed fabulosam ne vetustatem eleves*. — *v*. 10. *puram compararet filio* Cod. Perott. — *v*. 11. *est* addit Cod. Perott. reliqui hac voce carent. — *v*. 12. Ita Rigalt. Ed. II. et aliae deinde omnes, Codd. Pith. et Rem. *Sperante heredem sufficisse prox*. Cod. Perott. *heredem fieri se prox*. Primae Edd. duce Pithoeo *heredem se fecisse prox*. — *v*. 13. *Qui dum* Cod. Pith. — *v*. 16. *Doliturum amantem*. Cod. Perott.

Subsedit; deinde noctu subito ianuam
Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum iusserat,
Aetatem adultam servans diligentius.
Dum quaerunt lumen, dum concursant familia,
Irae furentis impetum non sustinens,
Ad lectum vadit, tentat in tenebris caput.
Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucerna allata, simul aspexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quae nil somno senserat,
Repraesentavit in se poenam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros.
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat: stant patroni, fortiter
Causam tuentes innocentis feminae.
A Divo Augusto tunc petiere iudices,
Ut adiuvaret iurisiurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniae,
Certumque fontem veritatis reperit,
Luat, inquit, poenas causa libertus mali.
Namque orbam nato simul et privatam viro
Miserandam potius, quam damnandam, existimo.
Quodsi delata perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium

— v. 24. *concursat* Cod. Perott. — v. 26. *vadit* Cod. Perott. Reliqui *accedit*. — v. 27. *sensit* Cod. Perott. — *transigit* correxit Rittershusius; nam Codd. *transfigit*. — v. 36. *Magna insolentem* Cod. Perott. — v. 41. *Quando ipsos* Cod. Perott. — v. 42. *tenebras distulit* Cod. Pith. Cf. Burmann. — v. 47. Ita Heusinger, Brotier, alii e Cod. Perott. qui habet: *Quodsi delatum bene scrutatus crimen*. Codd. Pith. et Rem. *damnanda perscrutatus crimina*.

Subtiliter limasset, a radicibus
Non evertisset scelere funesto domum.
Nil spernat auris, nec tamen credat statim:
Quandoquidem et illi peccant, quos minime putes,
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc admonere simplices etiam potest,
Opinione alterius ne quid ponderent.
Ambitio namque dissidens mortalium
Aut gratiae subscribit, aut odio suo.
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Haec exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

FAB. XI.

EUNUCHUS AD IMPROBUM.

Eunuchus litigabat cum quodam improbo,
Qui, super obscoena dicta et petulans iurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.
En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunae, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

FAB. XII.

PULLUS AD MARGARITAM.

In sterquilino pullus gallinaceus
Dum quaerit escam, margaritam reperit.

— *v*. 49. Bentleius coni. *Subtiliter rimatus*. Sed Cf. Desbillon. *Fab*. XI. *v*. 3. *amissi roboris* coni. Praschius, alii aliter. Sed Cf. Burmann. — *v*. 5. *Integritati* Cod. Perott. apud Ianellium. *Fab*. XII, *v*. 1. Codd. et plures Edd. *sterquilinio* contra me-

Iaces indigno, quanta res, inquit, loco!
Hoc si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem pristinum.
Ego, qui te inveni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.
  Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

FAB. XIII.

APES ET FUCI, VESPA IUDICE.

Apes in alta quercu fecerant favos.
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, vespa iudice.
Quae genus utrumque nosset quum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconveniens corpus, et par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.
Sed, ne religio peccet imprudens mea,
Alvos accipite, et ceris opus infundite,
Ut ex sapore mellis, et forma favi,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant: apibus conditio placet.
Tunc illa talem protulit sententiam:
Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit,
Quapropter apibus fructum restituo suum.
  Hanc praeterissem fabulam silentio,
Si pactam fuci non recusassent fidem.

— *v.* 4. *Hoc si quis* Codd. Sed Rigalt. Ed. II. *O si quis*, eumque plurimi sequuntur. — *v.* 5. *pristinum* Cod. Perott. *maximum* Codd. Pith. et Rem. — *v.* 6. *Ego quod te inveni* Cod. Perott. apud Ianellium.

Fab. XIII, *v.* 13. *protulit* Cod. Perott. *sustulit*, Codd. Pith. et Rem.

FAB. XIV.

AESOPUS LUDENS.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus quum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor potius, quam deridendus senex,
Arcum retensum posuit in media via.
Heus, inquit, sapiens, expedi, quid fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu.
Nec quaestionis positae causam intelligit:
Novissime succumbit. Tum victor sophus:
Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris:
At si laxaris, quum voles, erit utilis.
Sic lusus animo debent aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

FAB. XV.

CANIS AD AGNUM.

Inter capellas agno balanti canis,
Stulte, inquit, erras, non est hic mater tua:
Ovesque segregatas ostendit procul.
Non illam quaero, quae, quum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,

Fab. XIV, *v.* 4. Cod. Perott. apud Ianellium *Ut derisorem potius ridendum ostenderet.* — *v.* 9. Codd. *victor Aesopus* contra metrum. *Sophus* emendavit Franc. Pithoeus, Petri frater. Ianellius coni. *Tum vero Senex.* — *v.* 12. Ita Codd. Pith. et Rem. Sed Perott. apud Iannellium *debet.* Cf. Desbillon. ad calcem huius ed.

Fab. XV, *v.* 2. *non est hic* Cod. Perott. Iannellio teste, itemque Romulus. Sed Codd. Pith. et Rem. *non est haec.* — *v.* 5. *fert onus* Cod. Perott.

Novissime prolapsam effundit sarcinam;
Verum illam, quae me nutrit admoto ubere.
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi. —
Tamen illa est potior, quae te peperit. — Non ita est.
Unde illa scivit, niger an albus nascerer?
Age porro, scisset: quum crearer masculus,
Beneficium magnum sane natali dedit,
Ut exspectarem lanium in horas singulas.
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est,
Dulcemque sponte praestat benevolentiam?
Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

FAB. XVI.

CICADA ET NOCTUA.

Humanitati qui se non accommodat,
Plerumque poenas oppetit superbiae.
Cicada acerbum noctuae convicium
Faciebat, solitae victum in tenebris quaerere,
Cavoque ramo capere somnum interdiu.
Rogata est, ut taceret. Multo validius
Clamare coepit. Rursus admota prece,
Accensa magis est. Noctua, ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, et verba comtemni sua,

— *v.* 11. Cod. Perott. *Ago porro; parere si voluisset feminam Quid profecisset? quum crearer masculus* etc.

Fab. XVI, In Cod. Perott. apud Iannellium ita inscribitur: *Non esse sponte alicui faciendam iniuriam; nam qui humanitati se non accommodat, plerumque poenas dat superbiae.* — *v.* 4. *agebat* Cod. Perott. pro *faciebat.* — *v.* 7. *clamare occepit* Cod. Perott.

Hac est aggressa garrulam fallacia:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare citharâ quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: si non fastidis, veni;
Una bibamus. Illa, quae ardebat siti,
Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupide advolavit. Noctua, egressa e cavo,
Trepidantem consectata est, et leto dedit.
Sic, viva quod negarat, tribuit mortua.

FAB. XVII.

ARBORES IN DEORUM TUTELÂ.

Olim, quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea,
Pinus Cybebae, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Iupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere. —
At me Hercules narrabit, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic Deorum genitor atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicêre omnibus:

— *v.* 16. *arebat siti* Cod. Perott. — *v.* 16. *simul gaudebat* Cod. Perott. — *v.* 17. Cod. Perott. Editt. Pithoei 1596. Rittershusii 1598, tum recentiores fere omnes *egressa e cavo*. Sed Editt. Rigalt. Fabr. Scheff. Burmanni 1698. aliae *egressa cavo.* — *v.* 18. *Crepitantem* Heinsii est coniectura, quam sequitur Schwab.

Fab. XVII, *v.* 4. Cod. Perott. *Pinus Neptuno.* — *v.* 7. *Honorem fructu* Codd. Sed Editt. Pith. Rigalt. II. aliae *Honore fructum.* — *v.* 8. *meheroules* Cod. Perott. sed Pith. et Rem. *mehercule*, claudicante metro.

Nisi utile est, quod facimus, stulta est gloria.
  Nihil agere, quod non prosit, fabella admonet.

FAB. XVIII.

PAVO AD IUNONEM.

Pavo ad Iunonem venit, indigne ferens,
Cantus luscinii quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auribus admirabilem;
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor smaragdi collo praefulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas. —
Quo mî, inquit, mutam speciem, si vincor sono? —
Fatorum arbitrio partes sunt vobis datae:
Tibi forma, vires aquilae, luscinio melos,
Augurium corvo, laeva cornici omina,
Omnesque propriis sunt contentae dotibus.
  Noli affectare, quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querelam recidat.

Fab. XVIII, *v.* 2. *lusciniae* Cod. Perott. — *v.* 7. *zmaragdi* Burmann. — *v.* 9. Cod. Pith. *Cur mihi, inquit, species, si vincor sono.* — *v.* 13. Editt. Pith. Rigalt. aliae quam plurimae: *Omnes quae propriis.* Heinsius coniecit *Omnesque,* eamque coniecturam codicibus nunc confirmari videmus. Ita enim Desbillonius in Comment. MS. *Hanc esse Codicis Remensis lectionem epistola ad Franc. Vavassorem scripta testatur;* et Ianellius: (Cod. Perottinus MS.) *Ita omnino in Codice.* — *dotibus* Cod. Perott. Sed Codd. Pith. et Rem. *vocibus.*

FAB. XIX.

AESOPUS AD GARRULUM.

Aesopus domino solus quum esset familia,
Parare coenam iussus est maturius.
Ignem ergo quaerens, aliquot lustravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Coepit redire. Et quidam e turba garrulus:
Aesope, medio sole, quid cum lumine? —
Hominem, inquit, quaero, et abiit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum retulit,
Sensit profecto, se hominem non visum seni,
Intempestive qui occupato alluserit.

EPILOGUS.

Supersunt mihi, quae scribam, sed parco sciens:
Primum, esse ne tibi videar molestior.
Distringit quem multarum rerum varietas;
Dein, si quis eadem forte conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui.
Quamvis materiae tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitatis nostrae praemium ut reddas, peto,

Fab. XIX, *v.* 5. *circueunti* Burmann. — *v.* 7. Cod. Perott. omittit *et* ante *quidam.* — *v.* 12. Gudius coniecit *illuserit.*

Epilog. Brotier, Bipontini, Schwabius hunc epilogum libro tertio addunt; in aliis Edd. est fabula XXV. libri IV. — *v.* 2. Ita edidit Pithoeus, omnibus fere sequentibus. In Codd. Pith. et Rem. est: *Primum esse tibi ne videar mol.* — *v.* 6. Ita omnes Edd. Sed Codd. *naturae* pro *materiae.* — *v.* 8. Cod. Pith. *brevitatis nostrae mium*, cui postremae voci mutilae a recentiori

Quod es pollicitus: exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est quotidie:
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, usus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cepero.
Languentis aevi dum sunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuvare bonitas nitetur tua
Quum iam desierit esse beneficio utilis,
Et mors vicina flagitabit debitum.
Stultum admovere tibi preces existimo,
Proclivis ultro quum sit misericordia.
Saepe impetravit veniam confessus reus:
Quanto innocenti iustius debet dari?
Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius;
Dein simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac iudicio tuo.
Excedit animus, quem proposuit, terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sincerae conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint, requires: apparebunt tempore.

---

manu superscriptum est syllaba *ni*. Edidit Pithoeus *praemium*. Multae Edd. auctore Heinsio *brevitati*. — *v*. 11. *perveniet* emendavit Ursinus; nam Codd. claudicante metro *veniet*. — *v*. 14. *coepero* Codd. *cepero* coniectura est Rittershusii plurimis probata. — *v*. 18. Correxit Gudius; in Codd. mendose *desideret* et *utilius*. Pithoeus, alii: *Cum iam desierit esse beneficium utile*. — *v*. 20. Emendavit Frid. Gronovius. In Cod. Pith. *tibi praeceps exis*, Cod. Rem. *tibi preceps exes*, uterque corrupte. Desbillon. coniectura: *Stultum, admovere tibi preces, perspexeris*. Alii aliter coniecerunt. — *v*. 24 et 25. Correxit Gudius. Codd. mendose: *fuerunt aliorum dein, Simili gyro venient aliorum vices*. — *v*. 27. Ita edidit Pithoeus, quem omnes fere sequuntur. In Codd. corrupte *me tatere iudicio*.

Ego, quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio piaculum est,
Dum sanitas constabit, pulchre meminero.

— *v.* 34. *piaculum* habent Codd. et Edd. Festi qui s. v. *mutire* eandem sententiam laudat ex Ennio desumtam; sed Codd. et plurimae Edd. Phaedri *periculum.* — *v.* 35. *meminero* Rittershus. emendavit. Codd. *memini.*

PHAEDRI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER IV.

PROLOGUS
AD PARTICULONEM.

Quum destinassem terminum operi statuere,
In hoc, ut aliis esset materiae satis,
Consilium tacito corde damnavi meum.
Nam, si quis talis etiam est tituli appetens,
Quo pacto divinabit, quidnam omiserim,
Ut illud ipsum cupiat famae tradere:
Sua cuique quum sit animi cogitatio,
Colorque proprius? Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,

Prolog. In Codd. hic prologus Libro V praeponitur, a Brotiero ob *vers.* 14. huic IV Libro restitutus. — *v.* 1. Emendavit Schefferus; in Codd. *terminum operis habere.* — *v.* 3. *meum*, quo Codd. carent supplevit Rittershus. — *v.* 4. Ita emendavit versum mutilum in Codd. Freinshemius addens vocem *appetens.* Rigalt. *tituli artifex.* Alii aliter suppleverunt. — *v.* 5. *divinabit* Rigalt. Ed. II. In Codd. aperto vitio *damnabit.* — *v.* 6. Ita Faber. et Guyet. In Codd. *Ut illum ipsum cupiam.* — *v.* 8. *proprius* coniectura Rittershusii. In Codd. mendose *colorque prior.*

(Quas Aesopeas, non Aesopi, nomino,
Paucas ostendit ille, ego plures dissero,
Usus vetusto genere, sed rebus novis);
Quartum libellum nunc Variae perleges.
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui,
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa iudicatis memoria.
Illiteratum plausum nec desidero.

FAB. I.

ASINUS ET GALLI.

Qui natus est infelix, non vitam modo
Tristem decurrit, verum post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
  Galli Cybebes circum in quaestus ducere
Asinum solebant, baiulantem sarcinas.
Is quum labore et plagis esset mortuus,
Detracta pelle, sibi fecerunt tympana.
Rogati mox a quodam, delicio suo
Quidnam fecissent? hoc locuti sunt modo:

— *v.* 14. Codd. *Quartum libellum dum varie perleges* mendose: Pro voce *Quartum* Gudius coniicit *Quarum*, a Burmanno receptum; Ursinus: *Quintum*, quem sequitur Desbillonius, alii. De variis virorum coniecturis in vocibus *dum varie* has memorare sufficiat: Pithoeus edidit *dum vacive perleges*, Ursinus *nunc vacive*, Brotier *dum Variae perl.* quem cum Desbillonio secuti sumus, sed ut mutaremus cum Ursino *dum* in *nunc*. — *v.* 20. Codd. *In literarum plausum ire desidero.* Unde Scioppius coniecit *Inliteratum plausum non desidero*, vel: *cur desidero?* Freinshem. *nec desidero.*

Fab. I. Ab hac fabula librum quartum ordiuntur Codd. et Editio Pith. Recentiores plerumque ad finem praecedentis libri eam reiecerunt.

Putabat, se post mortem securum fore,
Ecce aliae plagae congeruntur mortuo.

FAB. II.

DE MUSTELA ET MURIBUS.

Ioculare tibi videtur: et sane leve,
Dum nihil habemus maius, calamo ludimus:
Sed diligenter intuere has nenias;
Quantam sub illis utilitatem reperies!
Non semper ea sunt, quae videntur: decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adiiciam de mustela et muribus.
Mustela, quum, annis et senecta debilis,
Mures veloces non valeret assequi,
Involvit se farina, et obscuro loco
Abiecit negligenter. Mus, escam putans,
Assiluit, et compressus occubuit neci:
Alter similiter periit, deinde et tertius.
Aliquot secutis, venit et retorridus,
Qui saepe laqueos et muscipula effugerat:
Proculque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quae iaces.

FAB. III.

VULPIS ET UVA.

Fame coacta vulpis alta in vinea
Uvam appetebat, summis saliens viribus.

Fab. II, *v.* 2. *maius* omnes Edd. sed Codd. *manu.* — *v.* 4. *sub illis* Edd. omnes; Cod. Pith. *subtilis.* — *v.* 7. *interiore* coniectura Rittershusii. Codd. *inferiore.* — *v.* Ita Bentl. Cod. Pith. *Alter similiter, deinde perit et tertius.*

Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.
  Qui, facere quae non possunt, verbis elevant,
Ascribere hoc debebunt exemplum sibi.

FAB. IV.

EQUUS ET APER.

Equus sedare solitus quo fuerat sitim,
Dum sese aper volutat, turbavit vadum.
Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
Auxilium petiit hominis; quem dorso levans,
Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Laetor, tulisse auxilium me precibus tuis;
Nam praedam cepi, et didici, quam sis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum maestus ille: Parvae vindictam rei
Dum quaero demens, servitutem reperi.
  Haec iracundos admonebit fabula,
Impune potius laedi, quam dedi alteri.

FAB. V.

POETA.

Plus esse in uno saepe, quam in turba, boni,
Narratione posteris tradam brevi.
  Quidam decedens tres reliquit filias:
Unam formosam, et oculis venantem viros;
At alteram lanificam et frugi, rusticam;

Fab. IV, *v.* 5. Ita Edd. omnes. Sed in Cod. *Redit ad hostem laetus. Iactis* etc. versu iusto longiore.
Fab. V, *v.* 5. Alii, ut Desbillonius coniungunt *et frugi rus-*

Devotam vino tertiam, et turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex,
Sub conditione, totam ut fortunam tribus
Aequaliter distribuat, sed tali modo,
Ne data possideant aut fruantur; tum, simul
Habere res desierint, quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet. Mater sedula
Iuris peritos consulit: nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant; deinde, quae tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumpta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem advocavit, iure neglecto, parens.
Seponit moechae vestem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos, glabros:
Lanificae agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, iumenta, et instrumentum rusticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, et delicatos hortulos.
Sic destinata dare quum vellet singulis,
Et approbaret populus, qui illas noverat,
Aesopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici,
Rogatus deinde, solvit errorem omnium.
Domum et ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanificae rusticae:
Vestem, uniones, pedisequos, et cetera
Illi assignate, vitam quae luxu trahit:

---

ticam. Multae Edd. Heinsii coniecturam sequuntur: *lanificam, frugi et rusticam.* — *v.* 15. *Quo pacto si non possideant* Cod. Pith. Sed vocem *si* omnes fere Edd. omittunt. — *v.* 38. *Agros utiles* Codd. Emendavit Pithoeus.

Agros, vites, et pecora cum pastoribus
Donate moechae. Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, ut vinum paret;
Agros abiiciet moecha, ut ornatum paret;
At illa gaudens pecore, et lanae dedita,
Quacunque summa tradet luxuriae domum.
Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulae.
Ita, quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis reperit solertia.

FAB. VI.

PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

Quum victi mures mustelarum exercitu
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, et artos circum trepidarent cavos:
Aegre recepti, tamen evaserunt necem.
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in proelio
Haberent signum, quod sequerentur, milites,
Haesere in portis, suntque capti ab hostibus;
Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.
Quemcunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili praesidio latet.

— v. 41. Ita Codd. Sed Burmannus, pluresque alii ex coniectura Frid. Gronov. *vinum petat.* Cf. Desbillon.

FAB. VII.

P O E T A.

Tu, qui, nasute, scripta destringis mea,
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Parva libellum sustine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuae,
Et in cothurnis prodit Aesopus novis.
Utinam nec unquam Pelii nemoris iugo
Pinus bipenni concidisset Thessala!
Nec ad professae mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem!
Inhospitalis prima quae Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graiûm et Barbarûm.
Namque et superbi luget Aeetae domus,
Et regna Peliae scelere Medeae iacent:
Quae, saevum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hic caede patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? Hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum; longe quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoque vindicavit exemplo impetum.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellae te iuvant, nec fabulae?
Noli molestus esse omnino literis,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
  Hoc illis dictum est, qui stultitia nauseant,
Et, ut putentur sapere, coelum vituperant.

Fab. VII, *v.* 3. *Parva* edidit primus Rigalt. Ed. II. quem omnes fere sequuntur. In Cod. Pith. *Par libellum*, unde Pithoeus *Parum* fecit, Rittershusius *Parvum.* — *v.* 12. Emendavit Pithoeus; in Cod. *aetate domus.* — *v.* 25. Rittershusii dedimus coniecturam; nam in Cod. Pith. est: *qui stultitiam nauseant.* Rigalt. Ed. II. *si qui stulti nauseant.* Desbillon. coniectura: *qui stulti etiam nauseant.*

FAB. VIII.

VIPER ET LIMA.

Mordaciorem qui improbo dente appetit,
Hoc argumento se describi sentiat.
In officinam fabri venit vipera:
Haec, quum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax,
Quid me, inquit, stulta, dente captas laedere,
Omne assuëvi ferrum quae corrodere?

FAB. IX.

VULPIS ET HIRCUS.

Homo in periclum simul ac venit callidus,
Reperire effugium alterius quaerit malo.
Quum decidisset vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit hircus sitiens in eundem locum;
Simul rogavit, esset an dulcis liquor,
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquae,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. Tum vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

FAB. X.

DE VITIIS HOMINUM.

Peras imposuit Iupiter nobis duas:

Fab. VIII, *v.* 4. Heinsius coni. *si qua spes esset cibi.*
Fab. IX, *v.* 1. De varietate lectionis Cf. Desbill. ad calcem huius ed. — *v.* 2. *quaerit alterius* ob metrum coni. Bentlei.

Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

FAB. XI.

FUR ARAM COMPILANS.

Lucernam fur accendit ex ara Iovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum.
Onustus qui sacrilegio quum discederet,
Repente vocem sancta misit Religio:
Malorum quamvis ista fuerint munera,
Mihique invisa, ut non offendar surripi,
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quum adscriptus venerit poenae dies.
Sed ne ignis noster facinori praeluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quam qui reperit.
Significat primo, saepe, quos ipse alueris,
Tibi inveniri maxime contrarios:
Secundo ostendit, scelera non ira Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore:
Novissime interdicit, ne cum malefico
Usum bonus consociet ullius rei.

Fab. XI, *v.* 3. Burmannus metro subventurus delet *qui*, recentioribus fere editoribus sequentibus. Sed Cf. Desbillon. ad calcem nostrae ed. — *v.* 7. Cod. Rem. teste Desbill. in comment. MS. *culpam lue.* — *v.* 10. Cod. Pith. *colendos excolit*, emendavit Pithoeus *verendos.* — *v.* Cod. Pith. et primae Edd. *Itaque hodie.* Rigalt. Ed, II. et alii deinde omnes: *Ita hodie.*

FAB. XII.

HERCULES ET PLUTUS.

Opes invisae merito sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.
Coelo receptus propter virtutem Hercules,
Quum gratulantes persalutasset Deos;
Veniente Pluto, qui Fortunae est filius,
Avertit oculos. Causam quaesivit pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulque obiecto cuncta corrumpit lucro.

FAB. XIII.

LEO REGNANS.

Utilius homini nihil est, quam recte loqui;
Probanda cunctis est quidem sententia,
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Quum se ferarum regem fecisset leo,
Et aequitatis vellet famam consequi,
A pristina deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta iura reddebat fidè.
At mox labare coepit poenitentia
Saevamque demum ad indolem revertitur,
Quam tamen adhibitâ corrigit fallaciâ.
Ori admovere nasum sibi Vulpem iubet,
Et experiri, quid oleat. Merum herculè
Olfeci, ait illa, balsamum, ambrosiam meram.
Tum Leo: Pudendis assentationibus
Violare verum qui non erubescerent,
Numinibus hos vovi immolandos inferis,

Fab. XIII, *v.* 9. *Postquam lavare coepit.* Codd. et sequentes suppleti sunt a Desbillonio.

Dixit; prehensamque laceravit unguibus.
Conversus inde ad Simium, eadem, quae prius,
Imperat. Is autem doctior visus sibi
Exemplo factus alieno, teterrimum
Mitti fatetur ab eius ore spiritum.
Ad haec leo graves fronte caperatâ notas
Severitatis exhibens: Regem tuum
Sic tu vereris, inquit! ipsum despicis!
Ipsi innocentis vitia naturae exprobras!
At morte meritâ tale commissum lues.
Simulque miserum faucibus elisis necat.
Ita, quod gula appetebat, improbitas dedit.

FAB. XIV.

PROMETHEUS.

* * *

Afictione veretri linguam mulieris.
Affinitatem traxit inde obscenitas.
 Rogavit alter, tribadas et molles mares
Quae ratio procreasset? Exposuit senex.
Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad fortunam, frangitur,
Naturae partes, veste quas celat pudor,
Quum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis,
Ad coenam est invitatus subito a Libero.
Ubi irrigatus multo venas nectare,
Sero domum est reversus titubanti pede.
Tum semisomno corde, et errore ebrio,
Applicuit virginale generi masculo,

Fab. XIV. ab initio manca est.

Et masculina membra applicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

FAB. XV.

CAPELLAE ET HIRCI.

Barbam capellae quum impetrassent ab Iove,
Hirci maerentes indignari coeperunt,
Quod dignitatem feminae aequassent suam.
Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et usurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestrae fortitudinis.
Hoc argumentum monet, ut sustineas, tibi
Habitu esse similes, qui sunt virtute impares.

FAB. XVI.

GUBERNATOR ET NAUTAE.

Quum de fortunis quidam quereretur suis,
Aesopus finxit consolandi gratia:
Vexata saevis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrimas et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies,
Ferri secundis tuta coepit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator sophus:

Fab. XV, *v.* 2. *coeperant* Faber, aliique contra Codd. qui habent *coeperunt*. — *v.* 6. De varietate lectionis Cf. Desbillon. ad calcem nost. ed.

Fab. XVI. *v.* 5. *ut mutatur* emendavit Gud. Codd. et primae Edd. omittunt *ut*.

Parce gaudere oportet, et sensim queri,
Totam quia vitam miscet dolor et gaudium.

FAB. XVII.

CANUM LEGATI AD IOVEM.

Canes legatos olim misere ad Iovem,
Melioris vitae tempus oratum suae,
Ut sese eriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent. Vix tandem invenit
Eos Mercurius, et turbatos attrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
Mirati, sibi legatos non revertier,
Turpe aestimantes aliquid commissum a suis,
Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos superiores prodidit.
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum, sed multo, replent,
Mandata dant, legati mittuntur, statim
Abeunt. Rogantes aditum, continuo impetrant.

— *v.* 10. Emendavit Pithoeus, in cuius Cod. est *Totamque vitam.*
Fab. XVII, *v.* 2. Ita Codd. Sed Ursini coniecturam multi sequuntur: *Meliora vitae tempora oratum suae.* — *v.* 16. *adscribi* Cod. Pith. *adsciri* Cod. Rem. — *v.* 18. *Timentibus* Cod. Pith. Sed ita versus laborat, cui Salmasius succurrit legendo *rursum.* — *v.* 20. Ita Rigalt. II. et aliae deinceps fere omnes Edd. Sed Codd. et primae Edd. *Mandant dimittuntur statim.* — *v.* 21. *Abeunt* coniectura est Schefferi a pluribus recepta. Codd. *Adeunt.*

Consedit genitor tum Deorum maximus,
Quassatque fulmen: tremere coepere omnia.
Canes confusi, subitus quod fuerat fragor,
Repente odorem, mixtum cum merdis, cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante poenam Iupiter:
Legatos non est regis non dimittere,
Nec est difficile, poenas culpae imponere.
Non veto dimitti, verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.
Et hoc feretis pro iudicio praemium.
Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos exspectant et posteri,
Novumque venire qui videt, culum olfacit.

FAB. XVIII.

HOMO ET COLUBRA.

Qui fert malis auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam colubram sustulit,
Sinuque fovit, contra se ipse misericors.
Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia quum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

— *v.* 28. Ex emendatione Gudii. Codd. *Non est legatos regis non dimittere.* — *v.* 30. *Et* emendat Desbillon. In Codd. *Sed.* — *v.* 35 et 36. Ita Rigalt. II. sed Codd. *Ita nunc legatos exspectantes posteros Novum venire cum videt* etc. Bentl. *Ita nunc legatos quisque exspectans posterûm Novum venire cum videt.*

Fab. XVIII, *v.* 4. Cod. Rem. teste Desbillon. et omnes fere Edd. *necuit.* Cod. Pith. *nocuit,* quam quidem lectionem Guyet probat.

FAB. XIX.

VULPIS ET DRACO.

Vulpis, cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad draconis speluncam ultimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul aspexit: Oro, ut imprudentiae
Des primum veniam; deinde, si pulchre vides,
Quam non conveniens aurum sit vitae meae,
Respondeas clementer. Quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum est praemium,
Ut careas somno, et aevum in tenebris exigas? —
Nullum, inquit ille; verum hoc a summo mihi
Iove attributum est. — Ergo nec sumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? — Sic fatis placet. —
Nolo irascaris, libere si dixero:
Diis est iratis natus, qui est similis tibi.
  Abiturus illuc, quo priores abierunt,
Quid mente caeca miserum torques spiritum?
Tibi dico, Avare, gaudium heredis tui,
Qui ture Superos, ipsum te fraudas cibo;
Qui tristis audis musicum citharae sonum;
Quem tibiarum macerat iucunditas;
Obsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Coelum fatigas sordido periurio;
Qui circumcidis omnem impensam funeris
Libitina ne quid te tuo faciat lucrum.

Fab. XIX, *v.* 3. *ultimam* Codd. Pith. et Rem. *intimam* Cod. Perott. — *v.* 8. *fructum rapis.* Cod. Perott. — *v.* 23. Cod. Perott. *Qui, dum quadrante augeas patrimonia,* ubi Iannellius metri gratia emendat *adaugeas.* — *v.* 25. Cod. Perott. *funeri.* — *v.* 26. *lucri* Cod. Perott. Sed Cf. Desbillon. ad calcem nost. Ed. — Ceterum in Cod. Perott. tota haec ad avarum adhortatio *v.* 16. *seqq.* fabulae ipsi praemittitur et post *v.* 26. hic ver-

FAB. XX.

PHAEDRUS.

Quid indicare cogitet livor modo,
Licet dissimulet, pluchre tamen intelligo.
Quicquid putabit esse dignum memoriae,
Aesopi dicet; si quid minus arriserit,
A me contendet fictum quovis pignore.
Quem volo refelli iam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invenit ille, nostra perfecit manus.
Sed exsequamur coeptum propositi ordinem.

FAB. XXI.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper divitias habet.
  Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire coepit urbes Asiae nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quaestus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagio:
(Erat autem natus, ut aiunt, in Cea insula)

---

sus additur: *Fabellae nostrae parum aures accomoda,* ubi Iannellius pro *parum* emendat *paulum.*

Fab. XX, *v.* 1. *cogitet* emendavit Pithoeus, in cuius Cod. ut in Remensi *iudicare cogitur.* Cf. Desbillon. ad calcem Ed. nostrae.— *v.* 3. Tres priores versus h. fabulae in Cod. Perott. in duo contracti hoc modo: *Heu quantus est semper mortalium livor! Sunt qui quidquid putant dignum memoria Aesopi dicunt, siquid minus adriserit* etc. — *v.* 9. In Cod. Perott. deest hic versus. Cod. Rem. *propositum.*

Fab. XXI, *v.* 1. deest in Cod. Perott. — *v.* 7. *Redire in patriam* Cod. Perott. — *v.* 8. deest in Cod. Perott. Codex Pi-

Ascendit navem, quam tempestas horrida
Simul et vetustas medio dissolvit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitae. Quidam curiosior,
Simonide, tu ex opibus nil sumis tuis? —
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.
Praedones assunt, rapiunt, quod quisque extulit,
Nudos relinquunt. Forte Clazomenae prope
Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam studio deditus,
Simonidis qui saepe versus legerat,
Eratque absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit; veste, nummis, familia
Hominem exornavit. Ceteri tabulam suam
Portant, rogantes victum. Quos casu obvios
Simonides ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, perit.

FAB. XXII.

MONS PARTURIENS.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima exspectatio.
At ille murem peperit.

---

thoei mendose *in Sithia insula;* primae Edd. Pithoeo duce: *in Caeo insula;* Rittersh. *Ceo;* Gud. *Cea.* — *v.* 13. Cod. Perott. Iannellio teste: *Simonide, inquit, tu nihil ex istis sumis.* — *v.* 23. *Ad se receptum* Cod. Perott. — *v.* 25. *Portant* Cod. Perott. eodemque pertinet mendosa Cod. Rem. scriptio: *Poriant.* Primae Edd. *Porrigunt, rogantes victum;* indeque Rittershusius, Heinsius, alii: *Porgunt.*

Fab. XXII, *v.* 3. Primae Edd. *Quid ille pareret. At ille murem peperit.* Emendavit Rigaltius.

Hoc scriptum est tibi,
Qui, magna quum minaris, extricas nihil.

FAB. XXIII.

FORMICA ET MUSCA.

Formica et musca contendebant acriter,
Quae pluris esset. Musca sic coepit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, exta praesgusto Deûm,
Moror inter aras, templa perlustro omnia.
In capite regis sedeo, quum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula,
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica? —
Est gloriosus sane convictus Deûm,
Sed illi, qui invitatur, non qui invisus est.
Aras frequentas: nempe abigeris, quo venis.
Reges commemoras, et matronarum oscula;
Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.
Nihil laboras: ideo, quum opus est, nil habes.
Ego granum in hiemem quum studiose congero,
Te circa murum pasci video stercore.
Aestate me lacessis; quum bruma est, siles.

Fab. XXIII. Uterque Cod. Pith. et Remensis, primaeque Edd. fabulam ab hoc versu incipiunt: *Nihil agere quod non prosit fabella indicat.* Repudiavit versum Rigalt. Ed. II. et aliae deinde omnes, neque in Cod. Perott. habetur. — *v.* 10. Cod. Perott. *plane* pro *sane.* — *v.* 12. Hic versus et quinque sequentes varie in Edd. transponuntur. Nos eum ordinem secuti sumus cum Desbillonio, quem Rigaltii Ed. II. secundum Codices servat. Pithoeus, Rittershusius, pluresque alii talem ordinem statuunt: 1. (v. 12) *Reges commemoras.* 2. *Ego granum.* 3. *Te circa.* 4. *Aras frequentas.* 5. *Nihil laboras.* 6. *Super etiam iactas.* Atque eadem observatur in Cod. Perott. versuum series. — 1. Sed plurimae Edd. Pithoei coniecturam reprae- 'a iactas. — *v.* 18. Cod. Perott. *Cur bruma siles?*

Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto retudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus

FAB. XXIV.

SIMONIDES A DIIS SERVATUS.

Quantum valerent inter homines literae,
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A Superis sit tributus, tradam memoriae.
Simonides idem ille, de quo retuli,
Victoris laudem cuidam Pyctae ut scriberet,
Certo conduxit pretio: secretum petît.
Exigua quum frenaret materia impetum,
Usus poëtae moris est licentia,
Atque interposuit gemina Ledae sidera,
Auctoritatem similis referens gloriae.
Opus approbavit; sed mercedis tertiam
Accepit partem. Quum reliqüum posceret,
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duae.

— *v.* 22 — 24. desunt in Cod. Perott.

Fab. XXIV, *v.* 1 — 3. omittit Cod. Perott. idemque *v.* 4. sic: *Simonides ille supra de quo retuli.* — *v.* 5. Cod. Perott. *Victori.* — *v.* 6. Codd. *conduxit;* sed pleraeque Edd. auctore Meursio *condixit.* — *v.* 8. Ita Cod. Pith. et Rem. Rittershusius: *Usus poeta moris est licentia.* Rigaltius et alii deinde plerique: *Usus poetae, ut moris est, licentia.* Cod. Perott. *Usus poetae more et licentia est,* claudicante metro cui Burmannus subvenit scribendo: *Usus poetae more est et licentia.* — *v.* 12. *reliquum* emendavit Gud. In Codd. *reliquam.* — *v.* 13. *laudes duae* est Codd. Pith. et Rem. lectio a Desbillonio revocata. Cod. Perott. *partes duae.* Faber coni. *Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes, duo;* Schefferus: *laudis duae* probantibus Gudio et Burmanno.

Verum, ut ne irate dimissum te sentiam,
Ad coenam mihi promitte: cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis, et dolens iniuria,
Ne male dimissam gratiam corrumperet,
Promisit. Rediit hora dicta, recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium;
Magno apparatu laeta resonabat domus:
Repente duo quum iuvenes, sparsi pulvere,
Sudore multo diffluentes corpora,
Humanam supra formam, cuidam servulo
Mandant, ut ad se provocet Simonidem;
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camarae subito oppressit ceteros;
Nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.
Ut est vulgatus ordo narratae rei,
Omnes scierunt, Numinum praesentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

EPILOGUS.

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui,
Et copiosa abundat rerum varietas;

— *v.* 14. Codd. Pith. et Rem. *irate te dimissum;* transposuit Rigalt. Ed. II. Cod. Perott. Iannellio teste: *Verum, ut sine ira se dimissum sentiant.* Rittershus. coni. *ut ne iratum te dimissum sentiam.* — *v.* 15. Cod. Perott. *Ad coenam mecum veni.* — *v.* 18. Ita Codd. Salmasius coni. *Ne male dimissus,* eumque multae Edd. sequuntur. — *v.* 22. Ita Cod. Perott. teste Iannellio. Codd. Pith. et Rem. invito metro: *Repente cum duo iuvenes.* — *v.* 22. Scheffer. coni. *corpore Humanam supra formam.* — *v.* 26 et 27. in Cod. Perott. desiderantur. — *v.* 29. Cod. Perott. *Ruina domus.* — *v.* 30. *Omnes dixerunt* Cod. Perott.

F[illegible]1. et vett. Edd. reperitur hic epilogus inter

Sed temperatae suaves sunt argutiae,
Immodicae offendunt. Quare, vir sanctissime,
Particulo, chartis nomen victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe brevitatem approba,
Quae commendari tanto debet iustius,
Quanto poëtae sunt molesti validius.

---

fabulas V et VI. Libri quinti; aliquot ad finem Libri quinti reiecerunt; sed rectius Brotier huic loco assignavit. — *v.* 4. Codd. Pith. et Rem. *inmodica*. Correxit Rittershus.

PHAEDRI

FABULARUM AESOPIARUM

LIBER V.

PROLOGUS.

Aesopi nomen sicubi interposuero,
Cui reddidi iam pridem, quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Ut quidam artifices nostro faciunt saeculo,
Qui pretium operibus maius inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelem suo,
Trito et Myronem argento, tabulae et Zeuxidem
Ideo fuscatae: plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quam bonis praesentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

Prolog. v. 7 et 8. Dedimus Desbillonii coniecturam. Codd. et primae Edd. plane mendose: *Detrito Myronem argento. fabulae exqudiant Adeo fugatae. Plus vetustis* etc. Omnium fere sunt editorum ad hunc locum coniecturae, quas ut in re incerta enumerare non attinet. Multum se commendat Bentleii suspicio ita scribentis: *Si marmori adscripsere Praxitelen, Scopan Aeri, Myronem argento, tabulae Zeuxidem. Adeo fucatae plus vetustati favet Invidia mordax.*

FAB. I.

DEMETRIUS ET MENANDER.

Demetrius, qui dictus est Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo.
Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt,
Feliciter! succlamant. Ipsi principes
Illam osculantur, qua sunt oppressi, manum,
Tacite gementes tristem fortunae vicem.
Quin etiam resides, et sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repunt ultimi:
In quîs Menander, nobilis comoediis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu affluens,
Veniebat gressu delicato et languido.
Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine:
Quisnam cinaedus ille in conspectu meo
Audet venire? Responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim
Homo, inquit, fieri non potest formosior.

Fab. I, *v.* 3. Codd. *ruit.* Pithoeus omnibus fere sequentibus edidit *ruunt.* — *v.* 8. *repunt* Cod. Perott. *repetunt* Codd. Pith. et Rem. — *v.* 15. *Quisnam* Cod. Rem. et Perott. *Quinam* Cod. Pith. — *conspectu meo* Codd. Pith. et Rem. *conspectum meum* Perott. Cod. — *v.* 18. In Codd. Pith. et Rem. versu 17. fabula abrumpitur. Sed Cod. Perott. teste Iannellio haec verba addit in fine lacera: *Homo, inquit, fieri non potest f. . m . s . . .* quae Iannellius ut in textu dedimus resarcit. Idemque ex Perotti argumento fabulae praemisso: *Quomodo saepe fallantur hominum iudicium,* in Indice ita repetito: *Quam saepe in rebus humanis fallatur humanum iudicium,* hoc fabulae epimythium fuisse suspicatur: *Humanum saepe sic iudicium fallitur.* Alii aliter lacunam supplent; atque Desbillonius quidem in hunc modum: *Nunquam, inquit, homines specie ab externa mihi Diiudicandos esse nunc intelligo.*

FAB. II.

VIATORES ET LATRO.

Duo quum incidissent in latronem milites,
Unus profugit, alter autem restitit,
Et vindicavit sese forti dextera.
Latrone occiso, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium, dein, reiecta paenula,
Cedo, inquit, illum, iam curabo sentiat,
Quos attentarit. Tunc, qui depugnaverat:
Vellem, istis verbis saltem adiuvisses modo,
Constantior fuissem, vera existimans:
Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem.
Ut possis alios ignorantes fallere,
Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio, quam virtuti non sit credendum tuae.
Illi assignari debet haec narratio,
Qui re secunda fortis est, dubia fugax.

FAB. III.

CALVUS ET MUSCA.

Calvi momordit musca nudatum caput;
Quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulae
Voluisti morte ulcisci; quid facies tibi,
Iniuriae qui addideris contumeliam?

Fab. II, *v.* 1 et 2. solus servavit Cod. Perott. In Codd. Pith. et Rem. desunt. — *v.* 4. Cod. Perott. teste Iannellio *Latrone exciso*. — *v.* 9. deest in Cod. Perott. — *v.* 13. *Scio quam* Cod. Perott. In Codd. Pith. et Rem. *Scio quid*, pro quo Pith. reposuit *quod*, a plurimis Edd. receptum. — *v.* 14 et 15 desunt in Cod. Perott.

Fab. III, *v.* 5. Codd. Pith. et Rem. *Iniuriae quia dederis.*

Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem laedendi scio,
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quae delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel maiore incommodo.
Hoc argumentum veniam ei dari docet,
Qui casu peccat. Nam qui consilio est nocens,
Illum esse quamvis dignum poena iudico.

FAB. IV.

HOMO ET ASINUS.

Quidam immolasset verrem quum sancto Herculi,
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iussit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille sic locutus est:
Tuum libenter prorsus appeterem cibum,
Nisi, qui nutritus illo est, iugulatus foret.
Huius respectu fabulae deterritus,
Periculosum semper reputavi lucrum.
Sed dicis, qui rapuere divitias, habent.
Numeremus, agedum, qui deprensi perierint:

Emendavit Rigalt. Sed in Cod. Perott. quoque a Iannellio edito *qui addideris.* — *v.* 7. Cod. Perott. teste Iannellio *Nam non.* — *v.* 11. Cod. Pith. et Rem. *veniam dari;* addidit Rigalt. vocem *ei.* Desbillon. *venia donari.* — *v.* 12. *quam qui consilio* Codd. Pith. et Rem. Emendavit Rigalt. — *v.* 13. Pro *quamvis,* quod Codd. ferunt Rittershusius reposuit *quavis* plurimis sequentibus. Sed Cf. Schwab. Ceterum tres postremi fabulae versus in Cod. Perott. desunt.

Fab. IV, *v.* 5. *Libenter istum* Cod. Perott. — *v.* 8. Ita Codd. et primae Edd. Sed Rigalt. in Ed. II. ex ingenio dedit *vitavi* pro *reputavi,* quem plurimi secuti sunt. — *v.* 10. Edd. fere omnes *perierint.* Sed Cod. Pith. *perierunt.* — Epimythium inde a *versu* 7. deest in Cod. Perott.

Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

FAB. V.

SCURRA ET RUSTICUS.

Pravo favore labi mortales solent,
Et, pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad poenitendum rebus manifestis agi.
Facturus ludos dives quidam nobiles,
Proposito cunctos invitavit praemio,
Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet.
Venere artifices laudis ad certamina:
Quos inter scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Dispersus rumor civitatem concitat:
Paullo ante vacua turbam deficiunt loca.
In scena vero postquam solus constitit,
Sine apparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipsa fecit exspectatio.
Ille in sinum repente demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent,
Et excuti iuberent. Quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri rusticus. Non mehercule

Fab. V, *v.* 1—3. in Cod. Perott. desunt. — *v.* 4. Schefferus primus dedit *nobiles;* in Codd. Pith. et Rem. est *nobilis* alia accusativi forma. Cod. Perott. *dives quidam et nobilis.* — *v.* 11. Cod. Perott. *civitatem convocat.* — *v.* 17. *porcellum voce* Cod. Perott. — *v.* 20. *onerant laudibus* Cod. Perott. et omnes Edd. N[illegible] *onerant lancibus*, quam lectionem veram putant [illegible]us. Sed Cf. Burmann.

Me vincet, inquit; et statim professus est,
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba maior. Iam favor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi, sedent.
Uterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Movetque plausus, et clamores suscitat.
Tunc simulans sese vestimentis rusticus
Porcellum obtegere (quod faciebat scilicet,
Sed, in priore quia nil compererant, latens)
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.
Acclamat populus, scurram multo similius
Imitatum, et cogit, rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum e sinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans:
En! hic declarat, quales sitis iudices.

FAB. VI.

DUO CALVI.

Invenit calvus forte in trivio pectinem;
Accessit alter, aeque defectus pilis.

— *v.* 26. Ita omnes fere Edd. duce Pithoeo, in cuius tamen Cod. est *Et derisuros non exspectaturos sitet.* Cod. Rem. *spectaturos sitet.* Cod. Perott. *Et derisurus non secuturus sedet*, quae quidem lectio Iannellio in notis ad Cod. Perotti. genuina videtur et stilum Phaedri prodens. Hic *favor*, inquit, sedet et spectat, ut fab. 13. Lib. I. v. 12. *stupor ingemit* fab. 1. Lib. II. v. 14. *aviditas est dives* et alia passim toto opere. In altero tamen libro a se edito qui inscribitur: *Phaedri Fabulae e Codice Perottino* legit: *Et derisuri non secuturi sedent.* — *v.* 27. *degrunnit* Cod. Perott. *digrunnit* Codd. Pith. Rem. omnesque fere Edd. Cf. Burmann. — *v.* 31. Ita Rigalt. II. et deinde fere omnes. In Codd. Pith. Rem. et Edd. primis *compererat.* Ursinus, Heinsius, alii totum versum, qui etiam in Cod. Perott. deest, ut spurium eiiciunt. — *v.* 36. *de sinu* Cod. Perott. — *v.* 37. Cod. Perott. Iannellio teste *errorem exprobrans.*

Eia, inquit, in commune, quodcunque est lucri.
Ostendit ille praedam, et adiecit simul:
Superûm voluntas favit; sed fato invido
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.
Quem spes delusit, huic querela convenit.

FAB. VII.

PRINCEPS TIBICEN.

Ubi vanus animus, aura captus frivola,
Arripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.
Princeps tibicen notior paullo fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is forte ludis (non satis memini quibus)
Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
Nec opinans, et sinistram fregit tibiam,
Duas quum dextras maluisset perdere.
Inter manus sublatus, et multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Ut spectatorum mos est et lepidum genus,
Desiderari coepit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis,
Et incipiebat ingredi Princeps. Eum

Fab. VI, *v.* 3. Emendavit Frid. Gronovius; in Codd. et primis Edd. claudicante versu *Eia, inquit, commune* cet. sine *in.* Rigalt. II. *Eia, inquit, est commune* etc. — *v.* 7. Rittershus. *haec querela convenit.*

Fab. VII, *v.* 2. Codd. et primae Edd. *abripuit.* Emendavit Rigaltius in Ed. II. — *v.* 8. Codd. mendose: *Nec opia, sed sinistram* cet. Correxit Pithoeus *Nec opinans et sinistram* cet. Neveletus *Nec opinus et sinistr.* (Cf. Phaedr. I, 9, 6.) — *v.* 16. Codd. *nobilis;* sed Heinsius, Burm. alii *nobiles.* — *v.* 17. et 18. Dedimus ex Ursini emendatione. Codices enim plane corrupte

Adducit pretio, precibus, ut tantummodo
Ipso ludorum ostenderet sese die.
Qui simul advenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum,
Quidam in conspectum proditurum sine mora.
Aulaeo misso, devolutis tonitrubus,
Dî sunt locuti more translatitio.
Tunc chorus, ignotum et modo reducto canticum
Imposuit, cuius haec fuit sententia:
Laetare, incolumis Roma, salvo Principe.
In plausus consurrectum est. Iactat basia
Tibicen; gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit,
Magnoque risu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. Homo meus se in pulpito
Totum prosternit: plaudit illudens eques;
Rogare populus hunc coronam existimat.
Ut vero cuneis notuit res omnibus,
Princeps, ligato crure nivea fascia,
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
Superbiens honore divinae domus,
Ab universis capite est protrusus foras.

---

sic: *Et incipiebat Princeps abduci reum ingredi, A se reducit pretio precibus, ut tantummodo.* Rigalt. III. *Et incipiebat Princeps ingredier; eum Adducit pretio, precibus, ut tantummodo.* — *v.* 25. Codd. et primae Edd. mendose: *Tunc chorus ignotum more ducto Canticum.* Alii aliter emendare student, Harius sic: *Tunc chorus; ignotum modo reducto canticum.* Desbillonius addidit *et* post *ignotum,* vocabulum *chori* cum sequentibus, non antecedentibus coniungens. — *v.* 28. Burmannus ex coniectura Heinsii contra Codd. *Iactant.* — *v.* 38. Correxit primus Gruterus, auctore Neveleto; in Codd. *Superbiens honorem vidit divinae domus.*

FAB. VIIII.

OCCASIO DEPICTA.

Cursu volucri, pendens in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas; elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprehendere:
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

FAB. IX.

TAURUS ET VITULUS.

Angusto in aditu taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad praesepia,
Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

FAB. X.

VENATOR ET CANIS.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis,

Fab. VIII, *v.* 1. Ita Codd. quorum lectionem frustra tentarunt viri docti; Desbillonius *in novaculam*, quam in manu habet, puta. Sed Cf. Böttiger. in Ed. Schwab.

Fab. IX, *v.* 1. *plecteret* Codd. Sed plures Edd. Rittershusii coniecturam sequentes *flecteret*. Cf. Scheffer et Desbillon. — *v.* 4. *tu*, quod in Codd. deest, addidit Pithoeus.

Fab. X, *v.* 1. Ita Cod. Pith. et omnes fere Edd. Codex Rem. teste Gudio, *Adversus omnes fortes et veloces feras*.

Languere coepit annis ingravantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnae suis,
Arripuit aurem; sed cariosis dentibus
Praedam dimisit. Hic tum venator dolens
Canem obiurgabat. Cui latrans contra senex:
Non te destituit animus, sed vires meae.
Quod fuimus laudasti; iam damnas, quod sumus.
Hoc cur, Philete, scripserim, pulchre vides.

— v. 7. Ità Hogstratanus, Brockhusio auctore, multis sequentibus. In Codd. *Cui senex contra latrans.* Cf. notam Desbillon. ad calcem nostrae ed. — v. 9. Ex coniectura Burmanni, quam a Romulo et Anonymo Nilantii confirmatam recepit Schwab. In Codd. claudicante metro *Quod fuimus laudes, iam damnas quod sumus.* Pithoeus: *iam damnas quod non sumus;* alii aliter immutarunt. — v. 10. *Philete* Cod. Rem. sed recentiore manu superlitum: *Fili descripserim.* Cod. Pith. et primae Edd. *Filite.*

DESBILLONII AD PHAEDRUM

NOTAE

NUNC PRIMUM EDITAE.

Egregias esse Desbillonii editas ad Phaedrum observationes, quivis horum studiorum peritior aestimator procul dubio iudicabit: tam sanae sunt et acutae ad criticam facultatem, tam accuratae in proprietatibus linguae investigandis, tam casto denique et terso orationis genere insignes, ut facile in iis elegantissimum fabularum scriptorem et Phaedri sui felicissimum aemulum agnoscas. Quapropter cum secunda fortuna mihi integrum et plenum Desbillonii ad Phaedrum commentarium obtulisset ab ipsius manu nitidissime conscriptum, ego impense laetatus sum, et mecum constitui data occasione supplemento augere notas viri doctissimi ad Phaedrum iam editas, et ex hoc pleniore commentario, ut constat, desumtas. Iam igitur eo libentius utor hac Stuttgartianae editionis opportunitate, atque iterato spicilegio instituto maximam notarum nondum editarum partem hoc loco collectam propono; haud unam tamen notam reliqui, quae etsi

satis bona, tamen nihil novi afferret. Nova autem haec accessio ad priores maxime libros Phaedri pertinet: nam in posterioribus quidem libris, ut vir doctissimus in editionis suae Praefatione p. XXXV. ipse indicat, uberiores et frequentiores observationes ex pleno hoc commentario editioni suae addidit. Una cum hoc commentario nactus sum *Varias lectiones ad Phaedrum* a Desbillonio diligentissime et plenissime collectas, et accuratissime ab ipsius manu litteris consignatas, quas haud semel cum fructu adhibui.

DESBILLONII

N O T A E

AD PHAEDRUM.

LIBER I.

Fab. I. V. 4. Prudentis

Haec genuina nobis visa est Manuscriptorum codicum Lectio; pro qua Rigaltius, et alii post ipsum Critici reposuerunt, *prudenti* falso existimantes, vitam prudentis non egere consilio. At prudens hic intelligi debet, non is qui Sapiens est, sed qui Sapientis uti consilio didicit.

V. 3. fauce improba

Rigaltius in notis ad Editionem suam anni 1617. *sic habet*, inquit, *vetustissimus codex Remensis. Ediderat Pithoeus, face improba.* Lectio Pithoeani codicis merito quidem reiecta est: at miror a Critico nullo, quem quidem noverim, factam Iani Gebhardi mentionem fuisse, qui lectionem illam Codicis Remensis, quam recepimus, duobus annis prius, quam a Rigaltio edita est, coniiciendo invenerat, ut videre licet in ipsius *Crepundiis* Lib. 2. cap. 6. Hanoviae anno 1615. in 4to excusis.

V. 5. 6. mihi fecisti aquam — Istam.

Veterum Codicum et primarum Editionum lectionem revocavimus: quam quidem nescio cur plerique, Rigaltii exemplum secuti, reiecerint, et, voce *Istam* sublata, reposuerint *fecisti mihi — Aquam:* nisi quod forte numeros hoc pacto futuros fuisse paulo suaviores reputaverint. At si causae mutandi tales invaluerint, quid immune ab inquieta Criticorum libidine, quid inviolabile fides manuscriptorum praestabit?

V. 10. at male dixisti mihi.

Docuit nos missa Remis ad Franciscum Vavassorem nostrum epistola, hanc esse Codicis Remensis Lectionem: quam quidem veram censemus, quamvis scriptum fuerit in Codice Pithoeano: *ait maledixisti mihi.* Fateor, apud Plautum et Terentium verbum *ait* contrahi non semel in unam syllabam; sed Auctoris nostri temporibus uti hac licentia poetae desierant.

Fab. II. V. 4. conspiratis

id est, *conspirantibus. Conspiratus* enim habere vim activam aeque potest, ac *coniuratus.* Seneca Epist. 84. sub fin. *Multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata.* Suetonius in *Nerone.* cap. 43. *quasi conspiratis, idemque et unum sentientibus;* ubi pro *conspiratis,* male reposuerunt *conspirantibus* nonnulli Critici.

V. 8. omnino insuetis

Plana videntur omnia, si modo subaudias *erat,* quod hic omitti potuit: servitus enim facile potest onus illud intelligi, grave scilicet omnino insuetis, sive hominibus qui nunquam tale quidpiam senserant; notandum praeterea, non solere Phaedrum sententiis generalibus, qualis est ista, *grave omne insuetis onus,* narrationes suas, breves, simplicesque, adornare.

V. 16. diutius

Pariter corripit Pacuvius in *Hermiona,* apud Diomedem grammaticum, columna 395 Edit. Putsch.

Paucis absolvit, ne moraret diutius.

ubi *moraret* dictum est pro *moraretur.*

Fab. III. V. 16.

Terentius Varro, veteris Romanae simplicitatis retinentissimus Auctor, ab Auctoris nostri licentia non multum abludit in hoc *Promethei sui* fragmento apud Nonium cap. 2. vocae, *Satias:* quod quidem ita esse legendum puto:

Illud *voluptas,* quod coepisset sumere,
Retineret; at, cum sat haberet, *satias* manum
De mensa tolleret.

ubi voluptas, pro voluptario; satias, sive satietas, pro saturo homine usurpantur.

Fab. IV. V. 2. carnem dum ferret.

Terentius, Heautont. act. 5. sc. 5. v. 14. voculam *dum* pariter cum subiunctivo adhibet, eodem sensu intellectam. Haec dum incipias, gravia sunt, Virgilius, Georg. L. 4. v. 457. Illa quidem dum te fugeret per flumina praeceps.

Fab. XIII. V. 1. 2.

Hunc locum Critici, nodum in Scirpo quaerentes, varie vexarunt; et se tamen Lectionem chartulae Danielis sequi, communiter putarunt. Sed errandi causam Editio Rigaltii duplex praebuit. Ille quidem in secunda Editione sic loquitur: *non abs re quibusdam rectius videbitur, quod exemplar Danielis suggerit:*

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Sera dant poenas turpes poenitentia.

Hi duo versus, quasi fideliter exscripti ab exemplari Danielis, recepti sunt, atque Franciscus Hare in Epistola sua critica de notis Bentleii in Phaedrum: *Rigaltius,* inquit, *ibidem* (in *codice Danielis*) *se legisse dicit, sera poenitentia: atque haec Lectio se probavit Rigaltio, Guyeto, Gronovio, Heinsio, Scheffero, Gudio: nec quidquam elegantius dici potuit.* Verum hanc lectionem illo modo compositam, quo hic repraesentatur, non exhibet Codex Danielis, at concinnavit Rigaltius; quod et ipsa eius vox, *suggerit,* serio attendentibus significare satis potuit. Atque ille in prima editione sua iam notaverat, secundum versum sic legi in exemplari Danielis:

Serae dant poenas turpi poenitentia.

quae verba, quamvis evidenter corrupta, proxime tamen accedunt ad lectionem Codicum Pithoeani et Remensis, quam retinendam esse censemus.

Fab. XIV. V. 18.

Stultitia tam recte *quaestus,* quam *quaestui* esse impudentiae dici potest. Horatius Sat. 6. Lib. 2. V. 19.

Autumnusque gravis Libitinae quaestus acerbae.

Sed et Lectio Codicis Remensis retineri poterat, quae, ut docuit nos epistola missa Remis ad Vavassorem, talis est:

Quorum stultitiae quaestus imprudentia est.

Nam si vox, *quorum,* distinguatur, referaturque ad vocem, *imprudentia*: Sensus erit: Quorum imprudentia quaestui est ipsi stultitiae, sive fatuitati. Fatuitas enim illa erat, per quam sutor, amore lucri stulto et improbo ductus, credulam imprudentiam

decepit. Sed altera Lectio Phaedro dignior visa est: sensum certe magis apertum, magisque lucidam orationem exhibet. Hanc ergo, plerisque Editionibus ultro obsequentes, recepimus.

Fab. XVIII. V. 3. humo iacebat

Haec est manuscriptorum codicum, veterumque Editionum Lectio; quam a Fabro, aliisque deinde reiectam fuisse miror, cum, *iacere humo*, subaudita praepositione, *in*, tam Latinum sit, quam, *iacere humi*. Ovidius Metam. Lib. 4. v. 121.

Et iacuit resupinus humo.

Ibid. v. 261.

Sedit humo nuda nudis incompta capillis.

et Heroid. Epist. 14. v. 100.

LIBER II.

Prolog. V. 12. 13.

Codices manuscripti et priores quinque editiones habent: *Ita sic rependet illi.* atque in subsequenti versu *nescit*. Rigaltius anno 1617. primus ex mera coniectura edidit:

Sic ista tibi rependet brevitas gratiam,
Cuius verbosa ne sit commendatio:

Tum duos priores versus fabulae sequentis, e sua sede attractos, huic prologo adiunxit, ut pendentem sententiam sustinerent. Hae mutationes omnium fere Criticorum suffragio confirmatae sunt, nedum culparentur; nisi quod primum versum alii aliter emendare studuerunt. Nos vero cum statuerimus ab auctoritate Mss. Codicum, quam minime fieri posset, recedere; Rigaltium eiusque Sectatores, hic et nimium audere, et parum solerter hariolari visos, deferere non dubitavimus. Nam praeterquam quod isti prologo moralem subsequentis fabulae sententiam, contra fidem manuscriptorum, ipsamque consuetudinem Phaedri, continuarunt; quidquid etiam ab illis excogitatum est, ut oratio proba conflaretur, si paulo diligentius coagmentaveris, nihil fere boni succi exprimas, nihil certe complectaris, quod sit ad loquendi rationem Auctorum veterum optimam satis accommodatum. Hac autem emendatione nostra mutationes levissimae factae sunt: reposuimus enim tantummodo in undecimo versu *accipiat* pro *accipias;* et in duobus aliis, qui hunc sequuntur, *talis* pro *Ita sic; nec sit* pro *nescit*. Iam vero plana et latina sunt omnia: nam *talis brevitas*, *cuius nec sit commendatio*

verbosa, ea brevitas est, ad quam Auctor commendandam verbum non amplius addat. Quod spectat ad istam loquendi formulam; ea tuetur se auctoritate Ciceronis, qui ad famil. Lib. 10. Epist. 6. *Talem igitur,* inquit, *te esse oportet, qui te . . . seiungas* etc.

Fab. V. V. 23. Tum sic iocata est

Ita primus edidit Rigaltius anno 1617. atque ita scriptum esse dicit Gudius in Codice Pithoeano. Pithoeus tamen edidit, *tum sic locuta est;* neque ab hac lectione recesserat Rigaltius in sua editione anni 1600. Nemo autem, praeter Gudium, aliter legi in Codice Pithoeano dixit; et huncce Codicem nunquam attigisse videtur Gudius. Qua propter valde suspicor Lectionem Rigaltianam fuisse nobis ex mera coniectura oblatam: hanc tamen ab omnibus Criticis comprobatam, et satis per se plausibilem, repudiare non ausus fui.

Epilog. V. 3. honoris

Sic ediderunt Pithoeus, Rigaltius, et alii plerique: at Mss. Codices habent *homini:* quod retineri forte potuit, et exponi hoc fere modo: ut scirent omnes viam; gloriae scilicet, homini, eo tantum nomine, quia homo est, patere. Tunc autem vel ultima syllaba in *patere* sustinenda esset, quemadmodum sustinetur in *pecori* apud Virgilium Georg. Lib. 1. v. 4.

. . . . qui cultus habendo
Sit pecori, Apibus quanta experientia parcis.

Vel mutatione levi facta esset legendum:

Homini patere scirent ut cuncti viam.

Hanc certe, de qua hic agitur, esse gloriae viam facile intelligeretur, cum praesertim ipsa gloria in versu proxime sequenti memoretur. Quia tamen elocutionem huiuscemodi exemplo aliquo bono confirmare mihi non licuit, lectionem vulgatam, quantumvis a fide manuscriptorum aberrantem reiicere non ausus fui.

LIBER III.

Prolog. V. 4. inquit

Haec est lectio veteris utriusque Codicis, Pithoeani scilicet ac Remensis: quam revocandam esse iudicavimus pro *inquis,* quod ediderunt Pithoeus, Rigaltius, et alii deinde omnes. Horatius ad fidem Codicum optim. emendatus, Lib. 1. Sat. 4. v. 78.

. . . . Laedere gaudes,

Inquit, et hoc studio pravus facis... Unde petitum
Hoc in me iacis?

Et Lib. 2. Sat. 2. V. 99.

. . . . Iure, inquit, Trausius istis
Iurgatur verbis: ego vectigalia magna,
Divitias habeo tribus amplas, regibus... Ergo,
Quod superat, non est, melius quo insumere possis?

Cicero de fin. bonor. et mal. Lib. 4. cap. 22. sub fin. *Quid tandem talibus viris responderes? Rogarem te, inquit, ut diceres* etc. Exempla huiuscemodi innumera apud Auctores antiquos reperiuntur; nec dubitare licet, quin maxime usitata illa fuerit loquendi formula. Sed et pro *inquitis*, vel *inquiunt*, usurpabatur, ut me legere memini apud Ciceronem et alios. Tunc igitur sermone quasi abrupto scriptor, oratorve secum loqui, et pro *inquis*, vel *inquitis*, vel *inquiunt*, dicere videbatur *inquit ille*, vel *eorum aliquis* quae quidem agendi ratio habet aliquid concitatius, quam si recto ordine sermo continuaretur.

V. 5. officii mei

Haec est lectio Codicum et Editionum omnium veterum: cuius in locum substitui *officiis meis*, minime necessarium fuit: nam horae momentum officii, idem est ac, horae momentum quod officio debetur. Cicero, ad Att. L. 12. Ep. 5. *Neque enim ulla hora tui mihi est operis ignota.* Scioppius de stilo Histor. pag. 57. Edit. 1658. Officium pro dignitate, sive munere, non dici ab Auctoribus aetatis aureae contendit: *Cum apud priores*, inquit, *officium nihil aliud, quam id, quod decet, significarit;* mox tamen affert exempla Caesaris, ubi officium pro munere significando adhibetur: *At videtur*, inquit, *magis pro Castrorum, quam Rostrorum consuetudine usurpatum.* Dixit tamen Cicero orat. pro Fonteio, cap. 7. *satis erit, id quod dixi antea, non surdum iudicem huic muneri atque officio praeesse.*

V. 20. natus sim paene schola

Lectio illa est utriusque Codicis, Pithoeani et Remensis: quam pleraeque editiones retinuerunt. Hoogstratanus autem, qui tali positione nolit extendi syllabam natura sua brevem: *Consulant*, inquit, *aures suas, qui Musas nacti sunt faventes.* Aures suas consuluerunt viri et eruditi et Musis amici; atque intellexerunt, ultimam in voce *paene* syllabam duabus, quae subsequuntur, consonantibus sustineri, et recte produci, quemadmodum in voce *tela* produxit Virgilius Aen. Lib. 9. v. 37.

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.

Similia apud Catullum et alios poetas optimos exempla sunt quam plurima. Dicam tantum, suaviorem esse numerum huiuscemodi, quam si vocem litera consonante clausam duae rursus consonantes excipiant.

Fab. I. V. 2.

Locus hic paulo est intricatior: a quo etiam explicando abhorruisse videntur plerique interpretes: nullum certe scio, qui id praestiterit. Sive legas, ut quidam volunt:

Adhuc falerna faece, e testa nobili:

sive, ut Bentleio placet:

Adhuc falerna e faece et testa nobili:

nihilo planior erit sententia: et Bentleiana quidem lectio eumdem sensum exhibet, ac vulgata, in qua praepositio e facile subauditur. At amphora, et testa rem prorsus eamdem significare docent omnes Critici et Lexicographi: quomodo ergo prima odorem ex altera spargere dici potest? Talis loquendi formula probabilitate careret, nisi Horatius exemplum hoc non absimile Lib. 3. od. 14. v. 17. suppeditaret:

I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
fallere testa.

Ibi enim sic explicandus ille est, tanquam dixisset: Affer cadum, si quis tamen cadus testa sua potuit Spartacum fallere. Sed testa et cadus non magis interse differunt, quam testa et amphora. Horatius igitur cado, Phaedrus amphora mensuram vini, testa autem uterque communiter vasis materiam significare voluerint. Cadus enim et amphora vasa sunt quidem, at quae certam vini copiam contineant: testa vero vas est, cuius mensura nulla assignatur. Itaque verba Auctoris nostri sic explicari possunt: Anus iacere vidit vacuam, epoto vino falerno, amphoram, cuius faex et testa, id est, cuius costis faex adhaerescens odorem late iucundum ad huc spargeret. Quanquam, ut ingenue proferam quae mihi venerunt in mentem, et hic, et apud Horatium, testa, forte nihil aliud est, quam operculum sive cadi, sive amphorae, peculiari utrinque nota insignitum: ita ut nota cadi male intellecta decipere Spartacum posset, amphorae autem odorem spargeret e faece adhuc recenti, et ex operculo, quod, licet effractum, abiectumque, adhuc tamen offerebat insignem titulum, et exhalabat fumos liquoris optimi, quos diu combiberat. Neque nulla afferetur a nobis ratio, cur testae significatio talis esse pos-

sit. Nam opercula huiusmodi, quae plerumque ex resina sive mastiche conficiebantur, figura sua non multum differebant a corneis tegumentis, quibus operiuntur pisces quidam testacei: ac quemadmodum ex similitudine cum his piscium testis calvaria gallice *teste* vocata est; ita et amphorae vel cadi operculum vocari testa potuit. Sed et Cato de re rust. cap. 84: *Catinum*, inquit, *testo* (forte legendum, *testu;* sic enim locutos veteres testatur Charisius). *operito.* Nimirum a piscis testacei figura operculum catini dictum primitus testum, vel testu fuerit: quod idem est ac testa, ut docet Nonius cap. 3. Denique Iuvenalis sat. 5. v. 33. Vinum memorat,

> . . . . cuius patriam, titulumque senectus
> Delevit multa veteris fuligine testae.

Sed vini in amphora vel cado conditi aetas et patria inscribebantur in vasis operculo, non in ipso vase: testa ergo, cuius inscriptionem mucore et fuligine delevisse vetustas hic dicitur, pro vasis operculo recte accipi potest: Phaedrus ergo pariter testa nobili nihil aliud voluerit forté, quam amphorae operculum, significari; et hanc testam ideo nobilem dixerit, ut signatam illustriore titulo fuisse intelligeremus.

Fab. II. V. 4. Alii onerant saxis.

Quatuor primae syllabae breves non latius spondeo patent, et saepe in versibus senariis primam sedem occupant. Ita fab. seq. 15. v. 12.

> Beneficium magnum sane natali dedit.

et Lib. 4. fab. 23. v. 17.

> Super etiam iactas, tegere quod debet pudor.

sic et Plautus Aulul. act. 2. sc. 8. v. 1.

> Volui animum tandem confirmare hodie meum.

et Terentius Andr. act. 3. sc. 3. v. 39.

> Tibi generum firmum, et filiae invenies virum.

et Pub. Syrus, cuius quidem has referre tot sententias non piguit, tum quia fere omnes praeclarae sunt, tum ut tanto magis convincantur, qui contradicere nobis vellent:

> v. 71. Beneficium accipere, libertatem vendere est.
> 72. Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
> 73. Beneficium dignis ubi des, omnes obliges.
> 74. Beneficium qui dare nescit, iniuste petit.
> 75. Beneficium qui dedisse se dicit, petit.
> 76. Beneficium saepe dare, docere est reddere.
> 107. Bonus animus laesus gravius multo irascitur.

108. Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.
172. Dolor animi gravior est, quam corporis dolor.
244. Gravis animi poena est, quem post facti poenitet.
245. Gravis animus dubiam non habet sententiam.
260. Hominem etiam frugi flectit saepe occasio.
266. Homo toties moritur, quoties amittit suos.
372. Male geritur, quidquid geritur fortunae fide.
509. Odia alia sub vultu, alia sub osculo latent.

Fab. 6. V. 3. vide ne

Syllabam in *vide* secundam corripere licet. Terentius Heautont. act. 2. sc. 3. v. 128.

Sed heus, tu videsis, nequid imprudens ruas.

et Adelph. act. 4. sc. 2. v. 11. qui versus est trochaicus:

Obsecro, vide ne ille huc prorsus se irruat. Syr. Etiam taces?

longe plura ex eodem Auctore, atque ex Plauto afferri possent huiuscemodi exempla: Sed cum Burmannus haud neget ultimam in *vide* syllabam fuisse aliquando ab Auctoribus antiquis correptam, hoc autem fieri Phaedri seculo vix potuisse contendat: Auctoris paulo etiam aetate posterioris exemplum producemus. Sic enim Persius sat. 1. v. 107.

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? videsis, ne Maiorum tibi forte
Limina frigescant.

Sed et, qui multo post Persium vixit, Dionysius Cato Lib. 4. de moribus, disticho 26.

Laudaris quodcumque palam, quodqumque probaris,
Hoc vide ne rursus, levitatis crimine, damnes.

Fab. X. V. 7.

Editiones Pithoei, Rigaltii, Fabri, Schefferi, et aliorum, habent:

Sed fabulosa ne vetustate elevem.

quod forte Critici posteriores retinere debuerunt, aliquid subaudiendo, ut sensus foret: ne veritatem; vel: ne id, quod mihi proposui, fabulosa vetustate elevem. Cum tamen in Codice Remensi Gudius legi testetur, non *vetustate,* sed *vetustatem,* censuimus, aliorum exempla secuti, hanc, quam repraesentamus, lectionem *(sed fabulosam ne vetustatem eleves.)* esse praeferendam, quae planum ceteroqui sensum exhibet: elevare enim non modo infirmare, sed etiam contemnere est, ut patet ex hoc Persii exemplo sat. 1. v. 5.

. . . . . 'Non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas.

ubi doctissimi quique interpretes, Frischlinus, Valentinus, Lubinus, accipiunt *elevet* pro *contemnat, parvipendat, floccifaciat.* Quanquam fatebor, veterem Persii interpretem, notasse ad hunc locum, verbo *elevare* posse *in altum extollere* significari. Neque aliter sensit Agroetius, qui Libro de Orthographia: *Elevamus,* inquit, *quae in altum extollimus.* Atque Caesar de Bello civ. Lib. 2. cap. 9. *quantum Storearum demissio patiebatur, tantum elevabant:* id est, Extollebant, ut superiora demonstrant. Unde veram fortasse verborum Phaedri lectionem hanc esse concludendum est:

Sed fabulosam ne vetustatem elevem:

id est, extollam, venditemque, quasi dignam, quae adhibeatur ad veritatem comprobandam.

Fab. X. V. 13. mentitus foret

id est, fuisset. Vide not. ad Prol. huius Libri, v. 28. In hoc autem versu pro *cum,* quod legendum censui, Rittershusium, et alios secutus, *dum,* quod habent Mss. Codices, retineri fortè poterat: nam Servius ad Virgil. Aen. Lib. 1. v. 701. *Sciendum,* inquit, *malo errore cum et dum a Romanis esse confusa.*

Fab. XIV. V. 12. sic lusus

Cum Lectionem hanc manuscripti Codices exhibeant; sensus autem sit optimus, oratio latina, versusque non inconcinnus: nullam certe video causam, cur Guyetus, Burmannus, Hoogstratanus, et alii *ludus* pro *lusus,* atque *debet* pro *debent* reponerent. Quod si fecerint, ut iambus crebrior existeret: cur ergo Lib. 1. fab. 8. v. 7. ubi legitur: *Tandem persuasa est:* non statim rescripserunt: *Persuasa tandem est?* cur aliis locis similibus opem similem non attulerunt? At Phaedro quid autem, quid tunc fieret? Ipsum, an eius umbram nostrorum hominum coniecturis varie expressam haberemus?

LIBER IV.

Fab. XIV. V. 6. pares vestrae fortitudinis

Id est, pares vestri, vel vobis fortitudine. *Par* cum secundo casu aeque ac *similis* coniungitur. Cicero, Orat. in Pisonem, cap. 4. *facio iniuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cuius paucos pares haec civitas tulit, cum hac importuna bellua conferam.* Nescio unde

illud Gudius accipere potuerit, legi in manuscripto *fortitudine:* nam docent primae editiones, hanc nostram esse Pithoeani Codicis Lectionem: et missa Remis ad Vavassorem epistola, non aliter in Codice Remensi scriptum esse testatur. Mirum autem profecto, quod Walchius legere iubeat, *vestra fortitudine,* ex eo quod paulo post sequatur, *qui sunt virtute impares.* Nam si intellexit verba Phaedri, scire debuit, sensum loci huius posterioris esse, non *qui sint virtute tua impares,* quae absurda esset oratio; sed, *qui sint tibi virtute impares.*

Fab. XIX. V. 26. nequid faciat lucrum

Miror hanc locutionem tot viris eruditis fuisse suspectam, ut alii *nequid lucri,* alii *nequod lucrum,* invitis Codicibus manuscriptis reponerent. Nam Plautus, Mostell. act. 2. sc. 2. v. 66.

Rogant cuiatis sis, quid ei nomen siet.

Trucul. act. 2. sc. 4. v. 31.

Sed quid ego facinus audivi adveniens tuum?

Ibid. act. 3. sc. 2. v. 33.

Responde, adolescens, quaeso: quid tibi nomen est?

Pseudol. act. 2. sc. 2. v. 44.

. . . . . quidquid est nomen tibi.

Virgilius, Aen. Lib. 10. v. 293.

Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est.

Ubi Servius: *Quidquid,* inquit, *pro quodcumque.*
Cicero, de finib. Lib. 5. cap. 1. *Ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquid legamus.* Scio in editionibus plerisque repositum fuisse *scriptum aliquod* pro *scriptum aliquid:* Sed hanc lectionem, quam ex longe rarissima operum omnium Ciceronis editione Mediolanensi an. 1498. 1499. ad optimorum Codicum fidem accurata, excepi, sanam esse puto. Addam etiam illud praeterea; quod verba Phaedri sic explicari possunt: Ne Libitinarii aliquid de tua pecunia faciant lucrum, id est, in lucrum sibi vertant.

Fab. XX. V. 1. Quid iudicare cogitet

Rigaltius in sua editione prima notavit, legi in Codice Pithoeano *cogitur,* non *cogitet,* quod edidit ipse Pithoeus Lectore nihil admonito. Nos autem docuit Epistola Remis ad Vavassorem missa, legi similiter *cogitur* in Codice Remensi. Quam lectionem si quis retineri velit, oratio Phaedri sic poterit explicari: Intelligo, quid sit, quod iudicare de meis fabellis cogitur Invidus. Atque certe Invidi coguntur iudicare potius, quam iudi-

cant, aut iudicare cogitant: adeo illi non sponte sua agi solent. At cum, praeter unum Rigaltium, omnes fere auctoritatis alicuius Critici *cogitet* pro *cogitur*, esse reponendum, verbis etiam significantissimis pronuntiaverint: obtemperandum censui.

Fab. XXI. V. 27. Vos quod rapuistis, perît

Rapuistis, quod manuscriptorum Codicum et editionum tantum non omnium est, repudiare non ausi sumus. Verumtamen *habuistis*, quod reposuit Bentleius, paulo rectius videtur. *Quod rapuistis* explicant alii, quod e naufragio eripuistis; alii, quod a vobis partum furtis et rapinis fuerat. Deinde *perit* in praesenti tempore plerique accipiunt, quasi diceretur, *fluxum et caducum est*. at in praeterito *perît*, pro *periit*, quod poetis familiare est, melius, ni fallor, explicabitur. *Habuistis* autem ideo magis mihi placet, tum quod his verbis, *mea mecum esse cuncta*, belle et eleganter opponeretur; tum etiam quod versu 16to iam praecesserit:

Praedones adsunt, rapiunt quod quisque extulit.

LIBER V.

Fab. X. V. 3. annis ingravantibus

Non dictum est a Phaedro pro *ingravescentibus*, ut Burmannus putavit. Verbum *ingravescere* neutrum est: alterum autem vel idem est, quod tardare, ut apud Plinium, Hist. Lib. 19. cap. 8. sub fin. *Lepidium*, (plantae genus), *fruticibus abundare* dicentem, *si non saevitia hiemis ingravat* (illud ipsum scilicet) *quando impatientissimum est frigorum*. Vel nimis onerare est, ut apud Statium, Theb. Lib. 5. v. 410.

. . . Attonito manifestus in agmine supra est
Amphitryoniades, puppemque alternus utrinque
Ingravat.

Sed et Servius, hunc Virgilii, Aen. Lib. 11. v. 220. locum explicans:

Ingravat haec saevus Drances:

Idest, inquit, *graviora facit et onerat*. Canis ergo ille Phaedri venaticus languere coepit propter annos, qui ipsum ingravabant, id est, gravem tardumque reddebant.

Fab. X. V. 7. Cui senex contra Latrans

Haec est lectio manuscripti utriusque Codicis, et editionum omnium, quae ad annum usque 1701. prodierunt: quo anno David Hoogstratanus, hortante Iano Broukhusio, reposuit *cui Latrans*

contra senex: nec dubitavit asseverare, primam in verbis *Latrare* et *migrare* syllabam esse necessario longam. Hanc autem sibi persuasionem induisse videtur, ex iis, quae legerit in Libro Vossii de Arte gramm. cap. 16. pag. 221. ubi ille: *In migro*, inquit, *nemo priorem, quod sciam, corripit, praeter Manilium, Theodosiani aevi poetam: ac fortasse par ratio in latrare.* At Lucretius, Lib. 2. v. 964.

Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas.

Iam vero manuscriptorum Codicum, primam in verbo *latrare* syllabam fuisse a Phaedro correptam, attestantium lectionem confirmant, posterioris quidem aetatis, at minime tamen contemnendi Auctores. Nam Claudius Marius Victor Massiliensis, qui Claudiani temporibus vixit, poeta christianus, ingeniosus, stilique suavitate et elegantia versuum fere perpetua commendatus, Carminis in Genesim Libro 2. de primis parentibus e Paradiso expulsis:

. . . . Viscera terrae
Scrutari vesana fames et quaerere cogit
Qua steriles dat silva dapes: adeo usque malignis
Herbarum dubias passim radicibus escas
Explorare iuvat, ventremque explere latrantem.

Avienus, de oris maritimis, ad Probum:

Procedit inde in gurgitis Veneris iugum
Circumlatratque pontus insulas duas
Tenue ob locorum inhospitas.

Idem in Arati phoenomena paraphrasis cap. 6.

Aut Pelusiaci magis es Dea litoris Isis,
Digna Poli consors, et cura Latrantis Anubis.

Sidonius, carm. 5. v. 92.

. . . . circumlatrat ingens
Turba canum, si forte velit concurrere campo.

Si quis nihilominus obiecerit, apud Auctores melioris aevi, Horatium, Virgilium, Ovidium, occurrere saepe verbum *latrare* prima producta semper syllaba: respondebo, voculam *ego* apud ipsos ultima semper correpta multo saepius occurrere; eam tamen, ut iam notavimus ad Lib. 1. fab. 5. v. 7. fuisse tandem aliquando ab Ovidio, Heroid. Epist. 13. v. 135. productam: quod fieri quidem unquam licitum esse vidi Criticos qui negarent, antequam suum ipsis errorem allato hoc exemplo eripuissem: non absimilem esse rationem in secunda verbi *migrare*, quam Lucretius solus huc usque Auctor idoneus, quoniam Manilium ad aevi Theodosiani ignobilitatem relegant, corripuisse inventus est: Ergo pariter ex uno Phaedri exemplo, syllabam in verbo *latrare* primam corripi posse, recte concludere licuit Auctoribus

posteriorum aetatum modo commemoratis, scriptoribusque deinceps permultis recentioribus, quorum de numero Hugonem Grotium seligam, qui, farrag. Lib. 3. Apologo de Lupis et Ovibus, ubi versus omnes ad severitatem iambei carminis exacti sunt, sic habet:

> Fit pax. Latrantum pervetusto federi
> Renunciatur, addito, capital fore,
> Ovile propter si videretur canis.

Ibidem: . . . . allatrant convicíis.
In versu autem Phaedri quamvis *latrans* pro Cane accipi possit, quemadmodum Balantes pro Ovibus dixit Virgilius; rectius tamen *contra latrans* de allatrante, sive respondente obiurganti domino intelligetur.

PHAEDRI

FABULAE

RECENS IN ITALIA

INVENTAE.

Insunt hae fabulae in Codice Perottino inter alias Phaedro et Avieno fabulas auctoribus ascribendas. Quae quidem res, ut non minus earum indoles et scribendi genus, si pauca exceperis, quae suspecta esse possint, nobis quidem satis certe indicare videtur, germanam Phaedri Musam in his versibus loqui. Transcripserat has fabulas iam e Codice Perotti Dorvillius atque cum Burmanno communicaverat; sed latebant una cum utriusque observationibus. Cum autem anno 1809 Cassitus easdem fabulas ex eodem Codice publici iuris fecisset, mox Eichstadius in programmate academico eas denuo excudi iussit, additis Dorvillii et Burmanni observationibus a Ferdinando Handio sibi oblatis, qui quidem ex codicis Perottini exemplo Burmanni manu facto diligenter eas descripserat. Paulo ante prodiit totus hic codex accurate expressus opere Cataldi Iannellii, ut e praefatione libri patet 1811, etsi titulus fert 1809. *Codex Perottinus MS. regiae bibliothecae Neapolitanae duas et triginta Phaedri fabulas iam notas totidem novas, sex et triginta Aviani vulgatas et ipsius Perotti carmina inedita continens, digestus et editus a* CATALDO IANNELLIO, *eiusdem regiae bibliothecae scriptore, qui variantes etiam lectiones adpo-*

suit, tum deficientes et corruptas tentavit. Neapoli 1809. *Ex regia typographia.* Haud pauca autem aliter legit Dorvillius, aliter Iannellius. Quapropter ubi de lectione quaeritur, adhibetur in notis nostris et Burmannianum exemplum, id est, Codex Perottinus qualem Dorvillius descriptum cum Burmanno communicavit, et Iannellianus ille liber, quo quantum sciō nemo adhuc praeter me in Germania editorum usus est. Ego vero hoc debeo ut multa alia studiorum meorum adiumenta, praeclarissimo viro *Leonardo Hug.*

Editiones autem harum fabularum, quas a me adhibitas in notis laudavi, hae sunt:

Bothii (Iulii Phaedri Fabulae nuper publicatae in Italia, quas emendatius edidit animadversionibusque instruxit Fried. Henr. Bothe. Heidelbergae et Spirae. Sumtibus Augusti Oswald. 1822.)

Cassitti Editiones IV. quarum prima quinquaginta tantum exemplis prodiit Neapoli 1809; altera ibidem 1811; tertia hoc titulo: *Iulî Phaedri Aug. Lib. Fabulae ineditae XXXII. quas in codice Perottino biblioth. regiae Neap. primus invenit descripsit edidit Ioannes Antonius Càssittus Elector ex Colleg. Possessor. in R. utriusque Siciliae Reg. Societ. Georg. Academ. Italicae atque Pontanianae Sodalis ordinarius. Editio tertia. Neapoli.* 1811. *Ex Officina Monitoris utr. Siciliae.* 8. Quarta ita inscribitur: *Phaedri Augusti Liberti et Fl. Aviani Fabulae. Accedit in hac noviss. Edit. Phaedri Liber sextus repertus a Ioanne Antonio Cassitto in codice MS. Reg. bibl. cum parvis eiusdem*

scholiis. Neapoli 1817. *Ex Typographia Ianuarii Reale.* 12.

Eichstadii (Phaedri Fabulae XXXII. nuper repertae, nunc primum in Germania editae, adiunctis Dorvillii et Burmanni emendationibus. Ienae. 1812.*)*

Iannellii (Phaedri Fabulae ex codice Perottino MS. regiae bibliothecae Neapolitanae emendatae, suppletae et commentario instructae a Cataldo Iannellio eiusdem regiae bibliothecae Scriptore. Praefixa est de Phaedri vita dissertatio. Neapoli. 1811. *Typis Dominici Sangiacomo. Praesidum venia.* 8.*)*

Lünemanni (in Bibliotheca Romana classica Tom. VIII. Gotting. 1823.*)*

Praeter has editiones consulenda sunt *Acta philologorum Lipsiensium, Tom. II.* cui inest commentatio de his fabulis; et *Docenii* dissertatio *(Kritischer Beitrag zu den Beweisen der Unächtheit der sämmtlichen Fabeln des Phädrus)* in libro, qui inscribitur: *Allgemeine Zeitschrift von Deutschen für Deutsche herausgegeben von Schelling. Nürnberg.* 1813. Vol. I. p. 503.

PHAEDRI

FABULAE

XXX.

PROLOGUS.

De his, qui legunt libellum.

Hoc, qualecunque est, Musa quod ludit mea,
Nequitia pariter laudat et frugalitas;
Sed haec simpliciter, illa tacite irascitur.

FAB. I.

SIMIUS ET VULPES.

Avarum etiam quod sibi superest non libenter dare.

Vulpem rogabat partem caudae simius,
Contegere honeste posset ut nudas nates;
Cui sic maligna: Longior fiat licet,
Tamen illam citius per lutum et spinas traham,
Quam partem quamvis parvam impertiar tibi.

Prolog. Apud Cassitum est *Fab.* II. Bothius ita in limine posuit, Lünemann addidit nomen Prologi.

Fab. I, *v.* 5. Cod. invito metro et mutilato versu: *Quam tibi impartiar parvam quamvis pa . , .* Dedimus ex emendatione Cas-

FAB. II.

AUCTOR.

Non esse plus aequo tribuendum.

Arbitrio si natura fecisset meo
Genus mortale, longe foret instructius.
Nam cuncta nobis attribuisset commoda,
Quaecunque Fortuna indulgens animali dedit:
Elephanti vires, et leonis impetum,
Cornicis aevum, gloriam tauri trucis,
Equi velocis placidam mansuetudinem,
Et adesset homini sua tamen solertia.
Nimirum in coelo secum ridet Iupiter,
Haec qui negavit magno consilio homini,
Ne sceptrum mundi raperet nostra audacia.
Ergo contenti munere invicti Iovis,
Fatalis annos decurramus temporis,
Nec plus conemur, quam sinit mortalitas.

---

siti. Iannellius: *Quam parvam quamvis partem impertiar tibi.* Bothius: *Quam partem tibi ego quamvis parvam impertiar.*

Fab. II, *v.* 1. Ita Cassitus Ed. IV. Cod. teste Iannellio: *A.... si . a . . r . f. . . sset meo* Supplet Iannellius *Arbitrio si Natura finxisset meo.* Cassit. Ed. III *formasset meo.* — *v.* 3. Emendavit Iannellius. Codex: *Na . . . nobis* etc. Cassitus: *Namque illa nobis.* — *v.* 4. Cod. *Q . . . que Fortuna.* Cassitus et Iannellius *Quaecunque.* Bothius a Codicis vestigiis recedens *Quotquot.* Handius coniecit *Quidquid* — *v.* 5. De voce *elephanti* in Cod. nihil superest nisi literae El . . ha . . Supplevit Cassitus. — *v.* 6. Cod. teste Iannellio *C . rpus . . aevum,* ut sit *Corpus in* vel *ad aevum.* Quae lectio cum commodo sensu careat coniicit *Phoenicis aevum;* tamen et ipse assumit Cassiti supplementum *Cornicis aevum.* — *v.* 10. Cod. teste Iannellio, *hominibus.* Emendavit Cassitus. Bothius, ut metrum elegantius evadat, *consilio tibi.*

FAB. III.

MERCURIUS ET DUAE MULIERES.

De eodem alia fabella.

Mercurium hospitio mulieres olim duae
Illiberali et sordido receperant;
Quarum una in cunis parvum habebat filium,
Quaestus placebat alteri meretricius.
Ergo, ut referret gratiam officiis parem,
Abiturus, et iam limen excedens, ait:
Deum videtis; tribuam vobis protinus,
Quod quaeque optarit. Mater supplicat rogans,
Barbatum ut videat natum quam primum suum;
Moecha, ut sequatur sese quicquid tetigerit.
Volat Mercurius. Intro redeunt mulieres.
Barbatus infans, ecce, vagitus ciet.
Ideo quum forte meretrix rideret validius,
Nares replevit humor, ut fieri solet.
Emungere igitur se volens, prendit manu
Traxitque ad terram nasi longitudinem,
Et aliam ridens, ipsa ridenda exstitit.

Fab. III, *v.* 1. Cod. *Mercurium hospitio mulieres duae.* Addidit Cassitus *olim.* Iannellius *Mercurium quondam hospit.* etc. — *v.* 8. Cod. *Mater supplicat ro..* Supplevit Cassitus, Bothius: *suppliciter rogat.* — *v.* 11. *Volat* Cod. neque hoc Cassito debetur; non igitur opus est coniecturis Bothii *Votat Merc.* aut Handii *Vovet Merc.* — *v.* 13. Cod. *Id quum forte meretrix ridet validius;* versu una syllaba minori. Cassitus *Ideo quum.* Nos Iannellium secuti sumus. — *v.* 14. Cod. *N... reple... humor.* Sarsit Cassitus. Bothius: *Ideo dum forte meretrix ridet validius Nares replentur humore.* — *v.* 15. Cod. secundum Burmannum *Em. gutt.. s.. volens prehendit;* ut ipse coniiciat *Emungere guttas sed volens prendit manu.* Sed apud Iannellium haec est Codicis lectio *E..ngere .g... s... ns.. ndit manu* Nos Cassitum secuti sumus. Iannellius coniicit *Ea tangens igitur se imprudens prendit manu;* Eichstadius *Emungere guttas sibi volens.* — *v.* 17. Cod. *Et al..* unde Cassitus cum Iannellio dedit *alium* Bothius *aliam.*

FAB. IV.

PROMETHEUS ET DOLUS.

De veritate et mendacio.

Olim Prometheus saeculi figulus novi
Creta subtili Veritatem fecerat,
Ut iura posset inter homines reddere.
Subito arcessitus nuncio magni Iovis
Commendat officinam fallaci Dolo,
In disciplinam nuper quem receperat.
Hic, studio accensus, facie simulacrum pari,
Una statura, simile et membris omnibus,
Dum tempus habuit, callida finxit manu.
Quod prope iam totum mire quum positum foret,
Lutum ad faciendos illi defecit pedes.
Redit magister: quo festinanter Dolus,
Metu turbatus in suo sedit loco.
Mirans Prometheus tantam similitudinem
Propriae videri voluit artis gloriam:
Igitur fornaci pariter duo signa intulit.
Quibus percoctis atque infuso spiritu,
Modesto gressu sancta incessit Veritas;
At trunca Species haesit in vestigio.
Tunc falsa imago atque operis furtivus labor
Mendacium appellatum est, quod nequiverit
Pedes habere, facile quîs consisteret.

Fab. IV, *v.* 1. Cod. *seculi novi figulus.* Emendavit Cassit. — *v.* 2. *Creta* Cod. teste Iannellio. Cassitus *Cura subtili.* — *v.* 3. Ita Cod. Cassitus Ed. III. mendose *Ut iura possent veritatem reddere;* sed in Ed. veram Codicis lectionem repraesentavit. — *v.* 7. Ita plane Cod. teste Iannellio. — *v.* 12. Correxit Both. Cod. *Redit Magister, quo festinante Dolus.* Cassit. Ed. III. *Rediit magister; qua festinans re Dolus;* sed in Ed. IV. secutus est Iannellium, qui legit: *Rediit magister, festinante quo Dolus.* — *v.* 20. Bothius coniectura *Hinc falsa.* — *v.* 21 et 22. Cod. teste Iannellio: *Mendacium appellatum est, quod ne... Pedes habere f...le ipse*

Simulata interdum vitio prosunt hominibus,
Sed tempore ipso tamen apparet veritas.

FAB. V.

AUCTOR.

Sensum aestimandum esse, non verba.

Ixion, qui versari narratur rota,
Volubilem Fortunam iactari docet.
Adversus altos Sisyphus montes agens
Saxum labore summo, quod de vertice
Sudore semper irrito revolvitur,
Ostendit hominum sine fine esse miserias.
Quod stans in amne Tantalus medio sitit,
Avari describuntur, quos circumfluit

---

c . . s. n . . . unde ipse praeter plures alias coniecturas eam quoque elicit, quam nos dedimus, haec addens: animadvertendum sane est totam fabellae solertiam in verbo *mendacium* sitam esse, ut ut tandem hi versiculi legendi sint. *Mendacium* est a *menda*, et Charisius scribit *mendam* in significatione *mendacii* recte et latine dici. Adest autem menda ubi aliquid ad integritatem desideratur, ideoque mendae sunt brachium brevius, pes decurtatus, et similia. Praeterea gravissimi est momenti ad hanc rem, veteres et recentes populos, quae falsa visa fuerint ea non recte ambulare, non bene incedere, non consistere vulgato adagio praedicare. Cassitus: *Mend. appellat. est: quod ne cogites Pedes habere, futile ipse conspicis.* Bothius: *Mend. appellat. est, quod, se praedicans Pedes habere, mendax ipsum corruit.* — *v.* 23 et 24. in Codice separatim habentur addita inscriptione: *Nihil diu occultum.* Bothius cum antecedente fabula coniunxit et pro *vitia,* reposuit *vitio.*

Fab. V, *v.* 1. Restituit Cassitus. In Cod. Iannellio teste, Ixion qui versari . actat... O... unde ipse dedit *Ixion qui versatus iactatur rota.* — *v.* 3. Cod. *montes ag..* Cassitus et Iannellius inde fecerunt *agens,* Bothius Eichstadio et Handio auctoribus *agit.* — *v.* 5. *irrito* Cod. *improbo* Cassitus in Ed. III. sed in Ed. IV. item *irrito.*

Usus bonorum, nil sed possunt tangere.
Urnis scelestae Danaides portant aquas,
Pertusa nec complere possunt dolia:
Imo, luxuriae quicquid dederis, perfluit.
Novem porrectus Tityos est per iugera,
Tristi renatum suggerens poenae iecur:
Quo quis maiorem possidet terrae locum,
Hoc demonstratur cura graviori affici.
  Consulto involvit veritatem antiquitas,
Ut sapiens intelligeret, erraret rudis.

FAB. VI.

A U C T O R.

De oraculo Apollinis.

Utilius nobis quid sit, dic, Phoebe, obsecro,
Qui Delphos et formosum Parnassum incolis. —
Quid id est? Sacratae vatis horrescunt comae,
Tripodes moventur, mugit adytis religio,

— *v.* 12. *Imo* Cod. quod Cassitus et Iannellius accipiunt ea significatione, ut sit i. q. *fundus.* Sed rectius fortasse accipiatur pro adverbio illo, quod sic in correctione usurpatur, ut sensus sit: num vere dolia in hac narratione intelligenda esse censes? Immo luxuria significatur. Bothius: *Illico luxuriae.* — *v.* 15. Cod. mendose *Quo quisque.* Emendavit Cassitus. — *v.* 18. Cassitus in Ed. III et IV. Codicis hanc lectionem sequitur, proponit tamen coniecturam: *ne erraret,* eo sensu: ne peccarent rudes, utque in recta semita continerentur. Bothius metri causa transpositis vocabulis *Sapiens ut intelligeret.*

Fab. VI, *v.* 1. *Utilius* Cod. Bothius, cui comparativus hic non locum habere videtur, *Utibile.* — *v.* 3. Ita Bothius. Codex: *Qu. d. sacratae* cet. cum signo interrogationis post *dies.* Cassitus: *Quaeso id.* Iannellius in sua Phaedri Ed. *incolis: Quando sacratae Vatis horrescunt comae.* In notis ad *Codicem Perottinum* proponit etiam: *Quid modo sacratae* vel *quum modo.*

Tremuntque lauri, et ipse pallescit dies.
Voces resolvit acta Pythia numine,
Discuntque gentes Delii monitus Dei:
Pietatem colite. Vota superis reddite.
Patriam, parentes, natos, castas coniuges
Defendite armis. Hostem ferro pellite.
Amicos sublevate. Miseris parcite.
Bonis favete. Subdolis ite obviam.
Delicta vindicate. Cohibete impios.
Punite turpi thalamos qui violant stupro.
Malos cavete. Nulli nimium credite.
Haec elocuta concidit virgo furens;
Furens profecto: nam quae dixit perdidit.

FAB. VII.

AESOPUS ET SCRIPTOR.

De malo scriptore se laudante.

Aesopo quidam scripta recitarat mala,
In quîs inepte multum se iactaverat.
Scire ergo cupiens, quidnam sentiret senex,
Numquid tibi, inquit, sum visus superbior?
Haud vana nobis ingenî fiducia est.
Confectus ille pessimo volumine,
Ego, inquit, quod te laudas, vehementer probo;
Namque hoc ab alio nunquam continget tibi.

— *v.* 6 et 7. Cod. teste Iannellio: *V . . . s . . s . lvit . cta Phyton Numine.* Nos Cassitum secuti sumus, Iannellius in priore versu emendando cum Cassito conspirat; alterum sic edidit: *Docetque gentes.* — *v.* 10. Cod. invito metro *hostemque ferro*. Expunxit copulam Cassitus; Iannellius *hostem et ferro*. — *v.* 13. Cod. *castigate impios* contra metri rationes. Emendavit Cassitus.

Fab. VII, *v.* 4. Cod. *Numquid, inquit, sum tibi visus superb...* Emendavit Cassitus. Iannellius: *Numquid, ait, sum tibi visus sup.*

FAB. VIII.

POMPEIUS ET MILES.

Quam difficile sit hominem nosse.

Magni Pompeii miles, vasti corporis,
Fracte loquendo et ambulando molliter
Famam cinaedi traxerat certissimam.
Hic, insidiatus nocte iumentis ducis,
Cum veste et auro et magno argenti pondere
Avertit mulos. Factum rumor dissipat;
Arguitur miles, rapitur in praetorium.
Tum Magnus, Quid? ait, tune me, commilito,
Spoliare es ausus? Ille continuo exscreat
Sibi in sinistram, et sputum digitis dissipat.
Sic, Imperator, oculi exstillescant mei,
Si vidi aut tetigi. Tum vir animi simplicis
Id dedecus castrorum propelli iubet,
Nec cadere in illum credit tantam audaciam.
Post haec ad castra accessit, et, fidens manu,
Romanos ingens provocabat barbarus.

Fab. VIII, *v.* 1. Coniicit Iannellius *vesci corporis* laudans Plin. H. N. VII, 20. — *v.* 2. Cod. teste Iannellio *mol*... quod supplevit *molliter,* itemque Cassitus Ed. III. sed ibid. in notis et in Ed. IV. *mollius.* — *v.* 4. Cassitus *venientes* pro *iumentis,* quod quidem posterius vocabulum in Codice est teste Iannellio. — *v.* 6. *distulit* pro *dissipat* reposuit Cassitus, ne mox v. 10 idem verbum repetatur. — *v.* 8. *Quid ais?* Cod. Cassitus Iannellius. Nos Bothium sequimur. — *v.* 10. Iannellius Codicis lectionem *dissipat* mutat in *diicit.* — *v.* 13. Cod. *I....s.as..o... propelli iubet,* teste Iannellio, qui e vestigiis litterarum supplet, quae in textu dedimus. Eandem lectionem praebet exemplum Codicis Perottini Burmannianum. Cassitus: *Inanes suspiciones propelli iubet.* Bothius: *Nec dedecus id castror. prop. iub.* — *v.* 15 et 16. Ita Bothius. Cod. in exemplo Burmanni *P..... sst et manu fidens ..... en s provocabat barbarus;* secundum Iannellium: *.....ars ... rcessit et manu fidens ..... s provocabat barbarus.* Burmannus in posteriori versu coniecit: *Qui scutum quatiens provocab. barbar.* vel: *Ensem qui quatiens prov. barb.* Cassitus: *Haec*

Sibi quisque metuit; mussitant primi duces.
Tandem cinaedus habitu, sed Mars viribus,
Adit sedentem pro tribunali Ducem,
Et voce molli: Licet? Enimvero eiici
Virum, ut in re atroci, Magnus stomachans imperat.
Tum quidam senior ex amicis Principis:
Hunc ego committi satius fortunae arbitror,
In quo iactura levis est, quam fortem virum,
Qui casu victus temeritatis te arguat.
Assensit Magnus, et permisit militi
Prodire contra; qui, mirante exercitu,
Dicto celerius hostis abscidit caput,
Victorque rediit. His tum Pompeius super:
Corona, miles, equidem te dono libens,
Quia vindicasti laudem Romani imperî;
Sed exstillescant oculi sic, inquit, mei,
Turpe illud repetens, quod cinaedus fecerat,
Nisi tu abstulisti sarcinas furto meas.

---

inter castra accessit et fidens manu Romanos armis provocabat barbarus. Iannellius: *Forte intercessit praelium et fidens manu Horrenda voce provocabat barbarus.* — *v.* 17. Cod. *mussant.* Emendavit Dorvillius, metri causa; Iannellius *et primi.* Cassitus Codicis lectionem servat. — *v.* 18. Codex secundum Iannellium .... *cinaedus;* restituit *Tamen is cinaedus.* Cassitus: *Tamen cinaedus.* Nos Bothium sequimur. — *v.* 19. Cod. ... *sedentem.* Burmannus coniectando supplet *Adit* vel *Rogat sedentem.* Cassitus *Spernit sedentem.* Iannellius *Adiit sed.* — *v.* 20. Codex secundum exemplum Burmannianum: *Et voce molli luet,* ex quo Burmannus faciebat: *Et voce molli: licet?* Sed detracta vocula *et* plane eadem lectio a Iannellio Codici tribuitur. Cassitus: *ridet* pro *licet.* Bothius: *ludit.* — Sequentia, ut edidimus, in Codice habentur praeterquam quod *virum* male cum vers. 20 coniungitur. Cassitus: *v.* 21. *ira atroci* Magnus cet. — *v.* 24. Cassitus *iocus* pro *levis,* quod Iannellio iudice Codex habet. — *v.* 28. Cod. *hosti.* — *v.* 30. Cod. *militis.* Correxit Cassitus. — *v.* 33. Ita restituit Cassitus; in eius Ed. III. tamen *reddens* pro *repetens.* In Codice nihil superest, quam *Turpe illud... ns.* — *v.* 34. Cod. in exemplo Burmanniano: *Nisi tu abstulisti sa .. iam .. me;* aut secundum Iannellium: *Nisi tu abstulisti ... me...*

FAB. IX.

IUNO, VENUS ET GALLINA.

De mulierum libidine.

Quum castitatem Iuno laudaret suam,
Iucunditatis causam non repulit Venus;
Naturamque affirmaret ut esse illi parem,
Interrogasse sic gallinam dicitur:
Dic, sodes, quanto possis satiari cibo?
Respondit illa: Quicquid dederis, satis erit
Sic, ut concedas pedibus aliquid scalpere. —
Ne scalpas, inquit, satis est modius tritici? —
Plane; imo nimium est: sed permitte scalpere. —
Ex toto ne quid scalpas, quid desideras?
Tum denique illa fassa est naturae malum:
Licet horreum mihi pateat, ego scalpam tamen.
Risisse Iuno dicitur Veneris iocos,
Quia per gallinam denotarat feminas.

Dorvillius coniecit: *sarcinas nuper meas.* Iannellius: *Turpe illud imitans is quod ante fecerat, Nisi tu abstulisti e sarcinis opes meas.* Bothius: *Turpe illud imitans gestu, quod homo fecerat, Nisi tu abstulisti sarcinas furto meas.*

Fab. IX, *v.* 2. Cod. *Iucunditatis causa non repellit Venus.* Dorvillius et Cassitus emendarunt *repulit;* Iannellius et Bothius *causam,* sed Cassitus servat *causa.* — *v.* 3. Ita Cod. secundum exemplum Burmannianum, quam lectionem Bothius iure tuetur. Iannellius in Cod. invenit: *N..l..que ut affirmaret,* ex quo cum Cassito faciebat *Nullamque.* — *v.* 5. Cod. in exemplo Burm. *Si casta es, quanto,* unde Burmannus coniecit: *Huc asta: quanta* cet. Sed Iannellius cum Cassito in Cod. legit... *sodes, quanto,* unde uterque: *Dic sodes.* Bothius exempli Burm. lectionem tuetur. — *v.* 7. Ita exemplum Burm. Iannellius in Cod. reperit: *s...t,* unde cum Cassito edidit: *Sed ut concedas.* — *v.* 13. Cassitus *ioco.* — *v.* 14. *denotarat* emendavit Burmannus. Cod. *denotavit.* Cassitus *demonstravit.*

FAB. X.

PATERFAMILIAS ET AESOPUS.

Quomodo domanda sit ferox iuventus.

Paterfamilias saevum habebat filium.
Hic e conspectu quum patris recesserat,
Verberibus servos afficiebat plurimis,
Et exercebat fervidam adolescentiam.
Aesopus ergo narrat hoc breviter seni.
Quidam iuvenco vetulum adiungebat bovem.
Is quum, refugiens impari collo iugum,
Aetatis excusaret vires languidas,
»Non est quod timeas,« inquit illi rusticus:
»Non, ut labores, duco, sed ut istum domes,
»Qui calce et cornu multos reddit debiles.«
Sic tu, nisi, natum tecum assidue retines,
Saevumque ingenium comprimes clementia,
Vide ne querela maior accrescat domus.
Atrocitati mansuetudo est remedium.

Fab. X, *v.* 4. Cassitus a Codicis lectione recedens *fervida adolescentia.* — *v.* 5. Ita Cod. quem Cassitus in Ed. IV. sequitur; in prioribus autem Edd. suis: *narrat hoc brevissime.* — *v.* 10. Cod. secundum exemplum Burmann. *ut labores dico,* unde Bothius *duco.* Apud Iannellium Codicis lectio ita repraesentatur: *Non ut l. b . . . . sed* etc. et e litterarum vestigiis restituit *Non ut labores facio.* Cassitus: *Non ut labores iunxi,* Romuli paraphrasin secutus; *Non ut laboretis vos iungo.* — *v.* 11. Ita Codex, etsi ab initio versus aliquantum apud Iannellium mutilus apparet. Cassit. Ed. III. *Vagus qui cornu multos* cet. in Ed. IV. tamen ut nos dedimus. — *v.* 12. Cassitus: *detines* — *v.* 13. Cod. . . . . *genium comprimis clementia;* unde Cassitus Ed. III. *Saevumque ingenium,* Ed. IV. *Et saevum ingenium* Iannellius *Eiusque ingenium;* Bothius Dorvillium secutus: *Sic tu nisi natum tecum assidue retinens, Ferox ingenium comprimes clementia.*

FAB. XI.

AESOPUS ET VICTOR GYMNICUS.

Quo comprimatur aliquando iactantia.

Victorem forte gymnici certaminis
Iactantiorem quum esse vidisset Sophus,
Interrogavit, amplisne adversarius
Valuisset humeris? Ille: Ne istud dixeris;
Multo fuere vires maiores meae. —
Quod, inquit, ergo, stulte, meruisti decus,
Minus valentem si vicisti fortior?
Ferendus esses, forte si te diceres
Eum superasse, melior qui esset viribus.

FAB. XII.

ASINUS AD LYRAM.

Quo modo ingenia saepe calamitate intercidant.

Asinus iacentem vidit in prato lyram:
Accessit tentavitque chordas ungula;
Sonuere tactae. Bella res mehercules
Male cessit, ait, artis quia sum nescius.
Si reperisset aliquis hanc prudentior,

Fab. XI, *v.* 1. Cod. *Forte victorem*, quod retinet Cassitus; transposuit Iannellius. — *v.* 2. Emendavit Cassitus. Cod. *Iactantiorem quum vidisset Aesopus.* Iannellius *Iactantiorem quum vidisset philosophus.* — *v.* 4 et 5. Ita Cassitus. Codex teste Iannellio; *Interrogavit ampliusne adversarius Valuisset suus. Ille: ne istud dixeris;* unde fecit: *Interrogavit, an plus adversarius Suus valuisset. Ille* cet. — *v.* 8. Bothius refingit: *Ferendus fortasse esses, si te diceres.* — *v.* 9. Cod. *Superasse, qui esset melior viribus.* Cassitus ut metro subveniretur: *Astu suparasse.* Iannellius: *Superasse qui fuisset.* Nos Bothium sequimur.

Fab. XII, *v.* 2. Cod. *Accessit tentavit* Cassitus et Iannellius addunt copulam *et,* Bothius *tentavitque.* — *v.* 4. *quia* Cod. teste Iannellio, neque vero *quam sum nescius,* ut est in exemplo Burman. — Bothius *Male cessit mihi ait.*

Divinis aures oblectasset cantibus.
Sic saepe ingenia calamitate intercidunt.

FAB. XIII.

MULIER VIDUA ET MILES.

Quanta sit inconstantia ac libido mulierum.

Per aliquot annos quaedam dilectum virum
Amisit, et sarcophago corpus condidit.
A quo revelli nullo quum posset modo,
Et in sepulcro lugens vitam degeret,
Claram assecuta est famam castae virginis.
Interea fanum qui compilarant Iovis
Cruci suffixi luerunt poenas numini.
Horum reliquias ne quis posset tollere,
Custodes dantur milites cadaverum,
Monumentum iuxta, mulier quo se incluserat,
Aliquando sitiens unus de custodibus
Aquam rogavit media nocte ancillulam,
Quae forte dominae tunc assistebat suae
Dormitum eunti: namque lucubraverat,
Et usque in serum vigilias perduxerat.
Paullum reclusis foribus miles prospicit,
Videtque aegram sed facie pulchra feminam.
Corruptus animus illico succenditur,
Et uritur sensim impudens cupidine.
Sollers acumen mille causas invenit,

Fab. XIII, *v.* 1. Ita Cod. Sed Bothius *Ante aliquot annos.* *v.* 3. Cod. . . *velli*, ita tamen, ut Iannellius vestigia syllabae *re* assequeretur. Cassitus *divelli.* — *v.* 15. Ita Cod. Bothius *produxerat.* — *v.* 17. Cod. *et facie.* Emendavit Cassitus. Bothius edidit: *Aegramque videt sed facie* cet. — *v.* 19. Ita Cassitus Ed. IV. cum in prioribus dedisset: *Sensim impudica et uritur cupidine.* Iannellius: *Et uritur impudicitiae cupidine.* In Codice autem eodem Iannellio teste reperitur: *Uriturque sensim impud. . . cupid. . .*

Per quas videre possit illam saepius.
Quotidiana capta consuetudine
Paullatim facta est advenae summissior;
Mox arctiore vinxit animum copula.
Hic dum consumit noctes miles diligens,
Desideratum est corpus ex una cruce.
Turbatus miles factum exponit mulieri.
At sancta mulier, Non est quod timeas, ait;
Virique corpus tradit figendum cruci,
Ne subeat ille poenas negligentiae.
Sic turpitudo laudis obsedit locum.

FAB. XIV.

DUO IUVENES SPONSI, DIVES ET PAUPER.

Fortunam interdum praeter spem atque expectationem favere.

Unam expetebant virginem iuvenes duo:
Vicit locuples genus et formam pauperis.
Ut nuptiarum dictus advenit dies,
Animus dolorem quia non poterat perpeti,
Maerens propinquos contulit se in hortulos,
Quos ultra paullo villa ditis splendida
Erat acceptura virginem e matris sinu,
Parum ampla in urbe visa quod fuerat domus.
Pompa explicatur: turba concurrit frequens,

— *v.* 21. Cassitus male: *posset;* Cod. apud Iannellium *possit.* — *v.* 23. Sic plane Codex in exemplo Burmanniano; apud Iannellium *adv*... quod et ipse eodem modo restituit. Cassitus: *facta est ad votum summissior.* — *v.* 28. Cod. *timeas* teste Iannellio. Cassitus *metuas.*

Fab. XIV, *v.* 1. *Unâ* Cod. teste Iannellio, qui idem servat; omnes reliqui *unam.* — *v.* 4. *Amans dolorem* Cassit. — *v.* 6. Cod. apud Iannellium: *Quos ultra paulo villa splendidi divitis;* Burmann. Cassitus, Iannellius, *splendida;* praeterea Cassitus *Hos ultra.* Nostra lectio Bothio debetur.

Et coniugalem praebet Hymenaeus facem.
Asellus autem, qui solebat pauperi
Quaestum deferre, stabat portae in limine.
Illum puellae casu conducunt suae,
Viae labores teneros ne laedant pedes.
Repente coelum, Veneris misericordia,
Ventis movetur; intonat mundi fragor,
Noctemque densis horridam nimbis parat;
Lux rapitur oculis, et simul vis grandinis
Effusa et pluvia admista comites dissipat,
Sibi quemque cogens petere praesidium fuga.
Asellus notum proxime tectum subit,
Et voce magna sese venientem indicat.
Procurrunt pueri, pulchram aspiciunt virginem,
Et admirantur: deinde domino nunciant.
Inter sodales ille paucos accubans,
Amorem crebris avocabat poculis.
Ubi nunciatum est, recreatus gaudio,
Hortante Baccho et Venere dulces perficit,
Aequalitatis inter plausus, nuptias.
Quaerunt parentes per praeconem filiam:
Novus maritus coniuge amissa dolet.

— v. 10. *praebet* Cod. Sed Burmann. et Cassitus *praefert.* — v. 12. Cod. *Quaestum ferre;* Cassitus emendat ad explendum versum *deferre;* Iannellius *referre;* Bothius edidit: *In quaestum ferre.* — v. 14. Ita Cod. Bothius *Viae labore teneros ne laedat pedes.* — v. 19. Ita Bothius. Cod. teste Iannellio: *E.fusa..ep. d.s......d.s.p..* unde ipse fecit: *Effusa trepidos pulsat et omnes dissipat.* Cassitus: *Effusa et pluvia densa cunctos dissipat,* et in Ed. IV. *Effusa et pluvia denique cunctos dissipat.* — v. 21 — 23. Ita restituit Cassitus. Codicis hunc locum ita repraesentat Iannellius: *Asellus notum p..xim...s.b.. Et voce magna sese veni..em.... Procurrunt pueri p..c..am..ff....;* atque restituit a Cassito recedens. — v. 21. *proximum tectum* et v. 23. *pulcram affirmant.* — v. 14. ...*de domino;* restituit Cassitus. — v. 29. Ita Cod. teste Iannellio; itemque legit Cassitus. Sed Bothius ex Burmanniano exemplo *Sodalitatis.*

Quid esset actum postquam populo innotuit,
Omnes favorem comprobarunt Coelitum.

FAB. XV.

AESOPUS ET DOMINA.

Quam noceat saepe verum dicere.

Aesopus turpi quum serviret feminae,
Quae se expingendo totum intricabat diem,
Vestem, uniones, aurum, argentum comparans,
Neque inveniebat, digito qui se tangeret,
Licetne paucis? inquit. — Dicas. — Censeo:
Quidvis efficies, cultum si deposueris. —
Adeone per me videor tibi meliuscula? —
Imo, nisi dederis, sponda cessabit tua. —
At non cessabunt latera, respondet, tua;
Et obiurgari iussit ferulis garrulum.
Armillam is tollit paullo post argenteam.
Eam non apparere ut dictum est mulieri,
Furore plena vocat omnes, et verbera
Proponit gravia, verum si non dixerint.

Fab. XV, *v.* 3. Exemplum Burm. *Vestem, unionem;* sed Iannellio teste Cod. habet *Vestes, uniones.* — *comparans* restituit Cassitus ex syllaba *com...* in Cod. residua; sed Iannellius ibidem syllabam *sum...* sibi invenire visus est, ut legeret *sumeret.* — *v.* 4. Cod. *inveniret;* correxit Cassitus. — *v.* 5. *Dicas viris* Cassitus; Bothius: „edicas.“ „Vires:“ Sed Cod., teste Iannellio, ita ut nos dedimus, eandemque lectionem etiam Cassitus Ed. IV. ascivit. — *v.* 8. Cod. *cessavit,* quod servat Cassitus. Correxerunt Burmann et Iannellius. — *v.* 10. Cod. *iussit servum garrulum.* Emendavit Bothius. — *v.* 11. Cod. apud Iannellium: *Paullo post armillam tollit argenteam.* Cassitus in Edd. prioribus *tollit is argent.* Iannellius: *tollunt argenteam,* quam lectionem in Ed. IV. Cassitus sequitur. Burmannus coniecit *perdit* pro *tollit;* nos Bothii emendationem dedimus. — *v.* 13. Cod. teste Iannellio *ad verbera;* Cassitus *et verbera.*

Aliis minare; me non fallis: certe, ait,
Flagris sum caesus, verum quia dixi, modo.

FAB. XVI.

GALLUS ET FELES LECTICARII.

Nimiam securitatem saepe in periculum homines inducere.

Feles habebat gallus lecticarios.
Hunc gloriose vulpes ut vidit vehi,
Sic est locuta: Moneo, praecaveas dolum;
Istorum namque vultus si consideras,
Praedam portare iudices, non sarcinam.
Postquam esurire coepit saeva societas,
Discerpsit dominum, et fecit partes facinoris.

FAB. XVII.

SCROFA ET LUPUS.

Faciendum prius de homine periculum, quam eius te committas fidei.

Premente partu scrofa quum gemeret iacens,
Accurrit lupus, et obstetricis partibus
Se posse fungi dixit, promittens opem.
Quae vero nosset pecoris fraudes improbi,

— *v.* 15. Cod. secundum Iannellium: *Aliis minare ..nq... me non fallis certe;* ex quo ipse fecit: *Aliis minare, inquit, me non fallis quidem.* Cassitus Edd. III. *Aliis minare, neque me fallis certe ait;* in Ed. IV. Iannellium secutus. Bothius: *Aliis id inque; me non fallis certe, ait.*

Fab. XVI, *v.* 1 et 2. Cod. mendose *lecticarius* et *gloriosa;* emendarunt Burmannus et Cassitus. — *v.* 6. Ita Bothius. Cassitus in Cod. legit *sera societas,* edidit *sero societ.* Iannellius sibi videre visus est *fera societas,* edidit transposito ordine *societas fera.* — *v.* 7. Ita Cod. eamque lectionem Cassitus tuetur loco Plautino Menaechm. I, 2, 32. Bothius: *facinore.*

Fab. XVII, *v.* 1. *Tremente* Cod. Emendavit Cassitus, ex Rimicio sive Romulo. Dorvillius coniecit *Tumente,* Burmannus *Instante.* — *v.* 4. Cod. *fraudem,* ut versus una syllaba fiat muti-

Suspectum officium repudiavit malefici,
Et, Satis est, inquit, si recedas longius.
Quodsi perfidiae se commisisset lupi,
Parens dolori, fata deflesset sua.

FAB. XVIII.

AESOPUS ET SERVUS PROFUGUS.

Non esse malo addendum malum.

Servus profugiens dominum naturae asperae
Aesopo occurrit, notus e vicinia.
Quid tu confusus? — Dicam tibi clare, pater;
Hoc namque es dignus appellari nomine,
Tuto querela quia apud te deponitur.
Plagae supersunt semper atque alapae mihi;
Subinde ad villam curro intentis viribus;
Domi si coenat, totis persto noctibus;
Sive est vocatus, vigilo ad lucem in semita.

---

lus. Correxit Cassitus *fraudes;* Iannellius *quum nosset;* Bothius totum versum pro glossemate habet. — *v.* 6. Cod. *Quodsi;* Cassitus mutavit in *Quae si.* — *v.* 7. Cod. *Pari dolori.* Emendavit Bothius, quem secuti sumus; sed iam antea Cassitus in notis Ed. III. coniecerat: *Parens doloso.*

Fab. XVIII, *v.* 6 — 10. Dorvillius haec invenit in Cod. *Plagae supersunt ....l.... Subinde ad villa .... Domi si coenat totis pr. noctibus Sive aesin vocatus ... ad luc.. Emerui libertatem curius...* Apud Iannellium, quae in Cod. supersunt ita repraesentantur: *Plagae supersunt ....b.r. Subinde ad v... m.... Domi si coenat to...sto noctibus, Sive aestu vocatus ...o ad lucem in sem... Emerui libertatem, canus servio.* — *v.* 6. Bothium secuti sumus. Cassitus: *Plagae supersunt semper mihi post verbera;* Iannellius: *Plagae supersunt, desunt nunquam verbera.* — *v.* 7. Ita Bothius. Cassitus: *Subinde ad verberandum deficiunt manus.* Iannellius: *Subinde ad villam mittor servus rusticis.* — *v.* 8. Burmannus, Cassitus, Bothius malunt *persto;* Dorvillius, Iannellius: *praesto.* — *v.* 9. Ita Cassitus vestigia Codicis secutus, et laudans Petronii cap. 34. et cap. 9. Iannel-

Emerui libertatem, canus servio.
Ullius essem culpae mihi si conscius,
Aequo animo ferrem. Nunquam sum factus satur,
Et super, infelix, saevum perpetior domi.
Has propter causas, et quas longum est promere,
Abire destinavi, quo tulerint pedes. —
Ergo, inquit, audi. Quum mali nil feceris,
Haec experiris, ut refers, incommoda:
Quid, si peccaris? quae te passurum putas?
Tali consilio est a fuga deterritus.

FAB. XIX.

EQUUS CIRCENSIS.

Ferendum esse aequo animo, quidquid acciderit.

Equum e quadriga multis palmis nobilem
Abegit quidam, et in pistrinum vendidit.
Productus ad bibendum quum foret a molis,
In circum aequales ire conspexit suos,
Ut grata laudis redderent certamina.
Lacrimis obortis, Ite felices, ait;
Celebrate sine me cursu sollemnem diem!
Ego, quo scelesta furis abstraxit manus,
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

---

lius *Sive est vocatus, dego ad lucem in semita.* Bothius *Sive est vocatus, vigilandum ad lucem est mihi.* — *v.* 11. Ita Iannellius, ut e Cod. ipso. Bothius omittit *si.* — *v.* 13. Cod. *saevum patior dom...* Restituit, ut dedimus, Bothius. Sed Cassitus: *Et super, infelix, saevum patior dominum? Ego Has propter causas* etc. Iannellius: *Et saevum dominum patior infelix super.*

Fab. XIX, *v.* 1. Emendarunt Burmannus et Cassitus Cod. *et quadriga.* — *v.* 5. *ludis* habet Cod. Iannellio teste. Cassitus *laudis;* etsi in notis Ed. IV. coniicit *laude.* — *v.* 6. Ita Codex. Cassitus Ed. III. *vivite felices;* sed in Ed. IV. a Cod. lectione non amplius recessit. — *v.* 8. Cod. apud Iannellium: *.t traxit,* unde ipse [illegible], Cassitus *adtraxit.* Nos ut Bothius.

FAB. XX.

URSUS ESURIENS.

Famem acuere animantibus ingenium.

Si quando in silvis urso desunt copiae,
Scopulosum ad litus currit, et prendens petram
Pilosa crura sensim demittit vado.
Quorum inter villos simul haeserunt canceres,
In terram abripiens excutit praedam maris,
Escaque fruitur passim collecta vafer.
Ergo etiam stultis acuit ingenium fames.

FAB. XXI.

VIATOR ET CORVUS.

Verbis saepe homines decipi solent.

Quidam per agros divitis carpens iter,
Ave exaudivit, et moratus paullulum,
Adesse ut vidit neminem, coepit gradi.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
Ut, quisquis esset, par officium redderet.

Fab. XX, *v.* 2. Cod. apud Iannellium: *pndens petr.* unde coniicit *pendens petra.* Sed in Phaedri Ed. sequitur Cassitum legentem, ut nostra Ed. fert. — *v.* 4. Cod. teste Iannellio: *Quorum inter villos simul haeserunt cancri.* Cassitus emendavit *canceres,* laudans Lucret. V, 616. et Scaliger. ad Festum s. v. Cancri. Bothius: *Quorum inter villos haesere ut cancri simul.* — *v.* 5. Cod. In terram arripiens, quod servat Iannellius; Bothius emendavit *abripiens;* Cassitus: *Intortam adripiens* cet. — *v.* 7. Cod. *stulto.* Correxit Cassitus.

Fab. XXI, *v.* 1. Cod. Iannellio teste: *Quidam per agros d. v.. carpens... r;* quod ita supplevit: *Quidam per agros devium carpens iter.* Nos Cassitum sequimur. — *v.* 3. Cod. *cepit gr...;* Iannellius restituit: *cepit gradum;* nos Cassiti emendationem dedimus. — *v.* 4. Cod. teste Iannellio *ex occulto sonat;* Cassitus *sonus.* — *v.* 6. Cod. apud Iannellium: *par officium re-*

Quum circumspectans errore haesisset diu,
Et perdidisset tempus aliquot millium,
Ostendit sese corvus, et supervolans
Ave usque ingessit. Tum se lusum intelligens,
At male tibi sit, inquit, ales pessime,
Qui festinantes sic detinuisti pedes.

FAB. XXII.

PASTOR ET CAPELLA.

Nihil ita occultum esse, ut non reveletur.

Pastor capellae cornu baculo fregerat.
Rogare coepit, ne se domino proderet.
Quamvis indigne laesa, reticebo tamen;
Sed res clamabit ipsa, quid deliqueris.

FAB. XXIII.

SERPENS ET LACERTA.

Ubi leonis pellis deficit, vulpinam induendam esse, h. e. Ubi deficiunt vires, astu utendum.

Serpens lacertam forte adversam prenderat.
Quam devorare patula quum vellet gula,
Arripuit illa prope iacentem surculum,
Et pertinaci morsu transversum tenens
Avidum sollerti rictum frenavit mora.
Praedam dimisit ore serpens irritam.

---

cip..., quod ipse cum Cassito supplet *reciperet.* Bothius ex Burmanni exemplo Codicis *redderet.* — *v.* 8. Ita Cod. etiam secundum Iannellium. Sed Cassitus: *tempus aliquod, illico Ostendit* etc. — *v.* 11. Cod. *At tibi male sit.* Correxerunt Iannellius et Bothius.

FAB. XXIV.

CORNIX ET OVIS.

Multos lacessere debiles et cedere fortibus.

Odiosa cornix super ovem consederat.
Quam dorso quum tulisset invita haec diu,
Idem, inquit, tu si forte fecisses cani,
Poenas dedisses. Illa contra pessima:
Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
Scio quos lacessam, quîs dolosa blandiar,
Ideo senectam per tot annos prorogo.

FAB. XXV.

SERVUS ET CONSCIENTIA.

Nullum maledictum gravius esse conscientiâ.

Nullnm est maledictum gravius conscientiae.
Quum servus noctu simulans se esse ipsum virum,
Uxorem Domini constupravisset sui,
Idque illo sciret clam fore: conscientia,

Fab. XXIV, *v.* 3. Ita Bothius. Cod. secundum Iannellium: *I... it, si... fecisses cani* quod sic restituit: *Id, inquit, si dentato fecisses cani.* Cassitus: *Idem, inquiit, si forte fecisses cani.* — *v.* 5. Vox tertia praeter solam literam *d* plane in Cod. evanuit. Iannellius et Eichstadius restituunt *eadem,* Bothio probante; Cassitus in prioribus Edd. *Despicio inermes equidem et cedo fortibus;* sed in Ed. IV. *eadem et cedo.* — *v.* 6. *quis* vel potius *queis* addidit Cassitus, *cui* Iannellius; in Codice literae inter *lacessam* et *dolosa* exaratae evanuerunt. — *v.* 7. Ita Cassitus; in Cod. inter *senectam* et *annos* lacuna est. Iannellius: *Ideo mihi senectam in annos prorogo.*

Fab. XXV, Multum inter se hic alia ab alia discedunt Editiones, ut satius sit totam fabulam, ut ab aliis editoribus aliter data est, repraesentare, quam singulas lectionis varietates enotare. Secundum Iannellium igitur Cod. Perottinus sic habet:

Placet, inquit, tibi, quod nummos non debes? —
Placet. —
Sed non impune, quia animam debes, placet.

FAB. XXVI.

LEPUS ET BUBULCUS.

Multos verbis blandos esse, et pectore infideles.

Quum venatorem celeripes fugeret lepus,
Et a bubulco visus veprem irreperet:
Oro per Superos perque spes omnes tuas,

Nullum male dictum esse gravius conscientia.
Quum servus n . . . s . . . m . . . .
Uxorem domini . . . . puisset sui,
Idque ille sciret . . . . m circumstantibus:
Places tibi, inq . . . . non debes places.
Sed non impune qu . a . . . debes non places.

Cassitus edidit in Ed. IV.

Nullum maledictum est gravius conscientia.
Quum servus nummos simulans quosdam solvere;
Uxorem domini constupravisset sui,
Idque ille sciret, coram circumstantibus,
Placet tibi? inquit, quod herae non debes, placet?
Sed non impune. Quia mi debes, non placet.

Idem in superioribus suis Edd. v. 4. dederat:

Idque ille sciret fore clam circumstantibus.

Iannellius ita restituit:

Quum servus secretam admisisset noxiam,
Uxorem domini quod corrupisset sui:
Idque ille sciret, coram circumstantibus,
Places tibi? inquit; nam quum non debes places:
Sed non impune, quia quum debes, non places.

Quam nos dedimus restitutio Bothii est.

Fab. XXVI, *v.* 1. Emendavit Bothius Cod. pravo metro: *celeri pede fugeret.* — *v.* 2. Cod. . . *reperet;* unde Cassitus *adreperet,* Iannellius *irreperet.* — *v.* 3. *Oro* addidit Cassitus. Iannellius *Per superos oro.*

Ne me indices, bubulce; nihil unquam mali
Huic agro feci. Et rusticus: Ne timueris.
Late securus. Iamque venator sequens:
Quaeso, bubulce, numquid huc venit lepus? —
Venit, sed abiit hac ad laevam, et dexteram
Demonstrat nutu partem. Venator citus
Non intellexit, seque e conspectu abstulit.
Tum sic bubulcus: Ecquid est gratum tibi,
Quod te celavi? — Linguae prorsus non nego
Habere atque agere maximas me gratias;
Verum oculis ut priveris opto perfidis.

FAB. XXVII.

MERETRIX ET IUVENIS.

Multa esse iucunda, quae tamen sunt incommoda.

Quum blandiretur iuveni meretrix perfida,
Et ille, laesus multis saepe iniuriis,
Tandem clamaret sese fidum proteri:
Sexcentis, inquit, donis rivales licet
Contendant, ego te plurimi facio tamen.
Iuvenis recordans, quotiens deceptus foret:

— *v.* 5. Cod. *Et rusticus, ne timeret.* Burmann. *At rusticus, ne timeas, ait.* Cassitus: *Et rusticus, ne time: retro Late securus.* Utrumque refutat Bothius, qui emendat *ne timueris;* itemque iam ediderat Iannellius. — *v.* 11. Cod. *Tunc sic.* Correxit Bothius. — *v.* 13. Cod. *me maximas.* Transposuit Cassitus.

Fab. XXVII, *v.* 3 et 4. Ita restituit Bothius. Cod. apud Iannellium: *T... et s.s.f... eris.. inf... ...licet;* quae ipse in hunc modum supplet: *Tamen praeberet se facilem mulieri: Sic infidelis; plures muneribus licet Contendant* etc. Cassitus in prioribus Edd. *Tandem tentaret sese falsum conqueri. Sexcenti, inquit, rivales muneribus licet Contendant* etc. Idem Ed. IV. *v.* 3. *Tandem praeberet sese facilem mulier.* — *v.* 6. *quotiens* Iannell. e Codice; reliqui *quoties.*

Lubenter, inquit, mea lux, hanc vocem audio,
Non quod fidelis, sed quod iucunda est mihi.

FAB. XXVIII.

F I B E R.

Multi viverent, si salutis gratia parvi facerent fortunas.

Canes effugere quum iam non potis est fiber;
(Graeci loquaces quem dixerunt Castorem,
Et indiderunt bestiae nomen Dei,
Illi, qui iactant se verborum copia,)
Abripere morsu fertur testiculos sibi,
Quia propter illos sentiat sese peti.
Divina quod ratione fieri non negem.
Venator namque simul invenit remedium,
Omittit ipse persequi, et vocat canes.
Hoc si praestare possent, ut suo
Vellent carere, tuti posthac viverent:
Haud quisquam insidias nudo faceret corpori.

— *v.* 7. *Lubenter* Cod. Bothius *Libenter.*

Fab. XXVIII, *v.* 1. Ita Bothius. Cod. eumque secuti Cassitus et Iannellius: *quum iam non possit.* — *v.* 4. *Illi* Bothius secundum exemplum Burmann. Sed apud Iannellium in Cod. de hac voce sola litera *i* apparet; unde ipse: *Hi qui se iactant de verborum copia.* Cassitus: *Vani qui iactant se verb. cop.* — *v.* 5. *Abripere* Cod. secundum Iannellium, neque *arripere*, quod in exemplo Burm. est. — *v.* 6. *sese* emendavit Cassitus. Cod. *se.* — *v.* 7. Ita Codex teste Iannellio, nec minus Cassitus Ed. IV. nam in prioribus *Divina fieri quod rat.* — *v.* 9. *ipsum* Cod. *ipse* scripsimus praeeunte Bothio, qui etiam longius a Codice recedit, ita refingens: *Omittit persequi, vetat et canes.* — *v.* 10. Ita Cod. teste Iannellio. Bothius: *Hoc si praestantiores homines sic suo.*

FAB. XXIX.

PAPILIO ET VESPA.

Non praeteritam, sed praesentem adspiciendam esse fortunam.

Papilio vespam praetervolantem videns,
O sortem indignam! hominum de mente, ait, satus,
Quorum ex reliquiis animam nos accepimus,
Ego eloquens in pace, fortis proeliis,
Arte omni princeps quondam heu! qualis fui:
En cuncta levitas putris et volito cinis.
Tu, qui fuisti mulus clitellarius,
Quemcunque visum est laedis fixo aculeo.
Et vespa dignam moribus vocem edidit:
Non qui fuerimus, sed qui nunc simus vide.

Fab. XXIX, Est haec fabula mirum in modum lacera et obscura. Mihi in his tenebris aliquid lucis emergere videtur, si statuimus papilionem (graece ψυχήν) in hac fabula e capite hominis mortui ortum repraesentari, quod, considerantibus nobis nomen huius bestiolae graecum et significationem symbolicam (Cf. Creuzeri Symbol. et Mythol. Tom. I. p. 107. III. p. 568) non plane alienum videri possit. Eo versus 3 et 4 spectare videntur. De equo certe quidem, unde Cassitus papilionem natum fingit non magis certo constat. Hanc igitur meam coniecturam sequens secundum versum restituere tentavi. Qua de re quo melius iudicari possit adscribam sex primos fabulae versus, quales in Codice, Iannellio teste, habentur, tum Editorum coniecturis quales refecti sunt.

Papilio Vespam pr . . . . . vi . . . .
O sortem . . . . d . . . m . ba . t . . s .
Quorum ex re . . . . m . os a . . . . .
Ego loquens in p . . . fortis proeliis,
Arte omni princeps . . . qualis fui,
En cuncta levitas putris et vol . . . is.

Restituit Iannellius:

Papilio Vespam praeter volitantem videns,
O sortem miseram, ductam de barathris, ait:
Quorum ex reliquiis animam accepimus.

FAB. XXX.

TERRANEOLA ET VULPES.

Pravis non esse fidem adhibendam.

Avis, quam dicunt terraneolam rustici,
In terra nidum quia componit scilicet,
Forte occucurrit improbae vulpeculae;
Qua visa pennis altius se sustulit.
Salve, inquit illa; cur me fugisti, obsecro?
Quasi non abunde sit mihi in prato cibi!
Grylli, scarabaei, locustarum copia:
Quid est, quod metuas, rogo? Te multum diligo
Propter quietos mores et vitam probam.

Ego eloquens in pace fortis proeliis,
Arte omni princeps, antea qualis fui,
En cuncta levitas putris et volito cinis.

Barathrum autem v. 2. Iannellius intelligit folliculos, quibus bombyces antequam papiliones fiant, se includunt. Cassitus:

Papilio Vespam proelio invictam videns
O sortem indignam! a mulis membra tu accipis,
Quorum excrementis orta; nos ab equo sumus.
Ego loquens in paternis, fortis proeliis
Arte omni princeps cogito qualis fui!
En cuncta levitas putris et volatilis!

Bothius:

Papilio vespam proelio fortem videns:
O sortem indignam! ab asinis tu membra accipis
Quorum excrementis orta; nos ab equo sumus.
Ego laqueis improvisis, fortis proeliis
Arte omni princeps, incido, qualis fui.
En cuncta levitas putris et volatilis!

Fab. XXX, *v.* 6. Ita Codex. Bothius: *mihi sit.* — *v.* 8. Cod. *..est quod m..uas rogo, te ... um diligo* Cassitus in Edd. prioribus: *Praesto est. Quid metuas, rogo? te multum diligo.* Sed idem in Ed. IV. *Quid est, quod metuas, rogo? te nimium diligo.* Iannellius: *Non est, quod metuas, rogo; te multum diligo.* Bothius: *Adest: quid metuas? Ego te multum diligo.* — *v.* 9. Cod. *Propter .s.. tos mores.* Cassitus: *Propter tam sanc-*

Respondit contra haec: Eu, fidem bene praedicas!
Non viribus sum par tibi, sed sum subdola.
Quid sequere? Vitam tibi non committo meam.

---

tos mores. Iannellius: *Astutos propter mores.* Nos Bothium sequimur. — *v.* 10 — 12. Ita restituit Bothius. In Codice haec supersunt: *Respondet contra:* (v. 10.) *T... idem bene praedicas,* (11.) *Non s.... p..p..tibi, sed sum sub dio* (12). *Quin sequ ..et....tibi committo meam.* Cassitus: *Respondit contra: Tu bene quidem praedicas; Non socia sum propterea tibi, sed subvolo. Quin sequeris praedam? etiam committo meam.* Iannellius: *Respondit contra: Tu quidem bene praedicas, Non sum tamen propius tibi, sed sum sub dio: Quin sequor, et sic vitam tibi committo meam.*



